



Le. 598.





OBSERVATIONES  
ELECTRICO-MEDICAE,

QUAS  
IN COLLEGIO CLINICO,

QUOD

IN GRATIAM ET EMOLUMENTUM  
MEDICINA STUDIOSORUM  
PRO AUGUSTA SUA IN LITERAS MUNIFICENTIA

C O N D I D I T

A D A M U S  
F R I D E R I C U S  
P R I N C E P S,  
EMINENTISSIMUS ARTIUM SATOR,  
C O L L E G I T  
F R A N C . H E N R . M E N O F PH.  
W I L H E L M.

PHILOS. ET MEDIC. DOCTOR, PRAXEOS, CR-  
DICINAE CLINICAE PROF. PUBL. ET ORD.  
ET CELSISS. PRINC. EPISC. BAMB. ET EB. FRA.  
DUCIS CONSILIA. AULIC. ET IATER, I  
JULIAEI ET AD S. THEOD MED. OF



---

W I R C E B U R G I,  
Typis Franc. Ernesti Nitribitt, Univ. Typographi.  
MDCCLXXIV.

**KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE**



## PRAEFATIO.

Medicinæ Clinicæ Professor clementissime renunciatus, gaudet  
debam impense, quod nactus essem  
occasione ea, quæ Artis <sup>pr</sup> liquo,  
sedecim saltem annorum <sup>uē</sup> probata  
noveram; novis fortis successi-  
bus in magno Iulæo confirmata,  
& sic ultimam quasi limam exper-

( 2 ta,

P R A E F A T I O.

*ta, ut vi aliqua legis gauderent,  
Tyronibus Clinicis communicandi;  
nova insuper remedia, quibus ple-  
na adhuc fides deerat, efficacia ta-  
men, ad incudem revocata exami-  
nandi; quid denique & in morbis  
incurabilibus humeri valeant, pa-  
tienter & provide experiundi, spre-  
ta tamen ubique remediorēm farra-  
gine, exauctorato formularum ap-  
paratu, eruditæ simplicitatis stu-  
diosus. Sic forte ægrotantium  
commoa. Tyronum institutioni,  
PRINCIPIS mandato & votis,  
meomet sic officio posse fieri satis  
credebam.*

Ne-

P R A E F A T I O.

Neque fecellit spes. Aegrotantium enim indices confluentium numerus, lectuli insuper ægris frequentes campum offerebant, in quo Ars quotidie se exercebat. Intricatissimi non raro casus serio meditari jubebant medentem, & insolitam quandoque Artem suggerebant: neque incurabilibus malis detenti dimittendi erant inanes, his aliquid saltem opis debebatur, omnem, imo animum, si possibile foret, precibus extorquere visis: instructissimum præterea Pharmacopolium omni Artis penu dives, in pauperum nonnisi usus prostans, opportuni-

tim

P R A E F A T I O.

tatem omnem porrigebat: discen-  
tium denique lectissima corona vi-  
res addebat & animos; horum  
enim complures graviter decumben-  
tium lectulis diu noctuque assidere,  
morbi decursum observare, sym-  
ptomata notare, imo non raro mi-  
nistros agere, pietate ducti æmulo  
studio gestiebant: complures, ubi  
aliter diagnosis morbi haberí non  
poterat, pauperes & in urbe, & in  
vicinis pagis decumbentes invisere,  
symptomata calamo consignare ni-  
bil morabantur. Hac ratione fie-  
ri non potuit, quin felix quando-  
que successus votis responderet  
quem,

P R A E F A T I O.

*quem, cum non quotidianus esse videatur, publici juris facere opportuno tempore audero.*

*Electrum insuper experiri oportebat. Concutiens, Armatura, Gallis Renfort, ad manus erat, ipsissimum quidem, quod concessa mihi negotio inoculationis in Arce Schænbrunn olim feliciter perfunctorio, ab AUGUSTISSIMA IMPERATRICE copia, e Cæsareo Technophylacio instrumenta quædam pro lubitu iufus meos feligendi, relictis pretiosioribus, plus e re mea fore visum, una cum Antlia Pneumatica Muschenbræckiana cum apparatu, ræ*

ræ

P R A E F A T I O.

ræ profecto fortunæ, Augustæ quippe gratiæ Tesseram, auro cætero-quin ab Augustissima Manu donatus mecum sumpseram, Vienna re-dux. Hoc per quatuor jam annos indies periculo subjeci. Quis vero horum tentaminum eventus fuerit, bæ, quæ benevolum oculum exspe-ctant, pagellæ dabunt.

II



ELEN-

# ELENCHUS CONTENTORUM.

---

## CAPUT I.

### ELECTRI VIRTUS EMMENA- GOGA.

CASUS I. Mania promotis Electro	
Mensibus curata. - - - - -	pag. 1
II. Menes primi promoti. - - - - -	8
III. Menses a frigore suppressi re- vocati. - - - - -	12
IV. Menses primi post numerosam vermium excretionem soluti. - - - - -	15
V. Menses ab ira subito suppressi cum vomitu cruento &c. revo- cati. - - - - -	23
VI. Suppressio Mensium cum Chlo- rosi curata. - - - - -	29
VII. Suppressio Mensium in qua- dragenaria sublata. - - - - -	32
VIII. Menses diu suppressi mox restituti. - - - - -	34
IX. Menses cum tumore Abdo- minis diu suppressi revocati. - - - - -	35

X X

C A-

## C A P U T II.

### ELECTRI VIRTUS IN RHEUMA- TISMO CHRONICO.

CASUS I. Rheumatismus chronicus cum Tophis manuum Electro cura- tus. - - - -	pag. 42
II. Rheumatismus chron. cum Ca- chexia & Mensium suppressione curatus. - - - -	48
III. Ischias nervosa sublata. -	51
IV. Rheumatismus cubitum obsi- dens solutus. - - - -	53
V. Lumbago Rheumatica dissipata. - - - -	57
VI. Rheumatismus cum Tophis ad genua & Mens. Suppress. cu- ratus. - - - -	59
VII. Dolores Rheumatici cum im- mobilitate genuum dispartentes.	67
VIII. Dolor Rheumaticus e cervi- ce in brachium desinens solutus.	72
IX. Mobilitas genu sinistro redit.	74
X. Rheumatismus humerum obsi- dens solutus. - - - -	77
XI. Tophi manuum soluti. -	79
XII.	

XII. Rheumatismus spinam dorsi occupans dissipatus.	- -	86
XIII. Dolor Rheumaticus brachii articulum torquens sublatus.	-	88

## CAPUT III.

## ELECTRI VIRTUS IN PARALYSI.

CASUS I.	Paralysis	pedum	Electro	
	soluta.	- - - - -		90
II.	Paralysis ex Apoplexia	emendata.		93
III.	Paralysis ex Colica	Pictorum		
	curata.	- - - - -		100
IV.	Artuum Paræsis	emendata.	-	104
V.	Paræsis ex doloribus	Rheumaticis		
	curata.	- - - - -		108
VI.	Paralysis	extremorum post febrem putridam	emendata.	- 113

## C A P U T IV.

ELECTRI VIRTUS IN SPASMO  
ET STUPORE.


CASUS I. Spasmus dextri pedis Electro solutus. - - - - - 119

II. Dolor cum spasmo post febrem intermittentem pedem occupans curatus. - - - - - 120

III. Spasmus Maxillæ solutus.	-	123
IV. Stupor brachii sublatus.	-	124
V. Stupor sinistri pedis mox ce- dens.	-	-
	-	125
VI. Stupor cum tumore pedum dissipatus.	-	-
	-	127

C A P U T V.  
ELECTRI VIRTUS IN VARIIS  
MORBIS.

CASUS I. Tumor ventris Tympaniticus post excretam enormem glutinis copiam Electro dissipatus.	-	131
II. Tympanites concidit.	-	141
III. Melancholia dissipata.	-	144
IV. Epilepsia inveterata ad tem- pus sublata.	-	-
	-	148
V. Scabies revocata.	-	152
VI. Odontalgia cessans.	-	-
	-	155



C A -



CAPUT I.  
ELECTRI VIRTUS  
EMMENAGOGA.

CASUS I.  
MANIA PROMOTIS ELECTRO  
MENSIBUS CURATA.

Elisabetha W . . . virgo rustica no-  
vendecim annorum , nunquam  
menstruata , sana cæteroquin , & toro-  
sa , post matris , quam impense dilexe-  
rat , obitum , incipit tristari , sensim a  
laboribus , quibus olim cum gaudio  
præfuerat , morosa desuescere , patris

A jussâ

jussa spernere, delirare, tandem per intervalla furere, maniaca. Venæfæctio a Chirurgo loci aliquoties instituta, purgantia iterato sumpta profuerant omnino nihil.

Defertur Anno 1769. quinta ab ingressu morbi hebdomada, in nosocomium Juliæum, quod indulgentissimi PRINCIPIIS gratia maniacis omnibus patet: ubi jam insanire cum furore, jam timore angi, latibula quærere, profusaque non raro in lacrymas solvi, ad interrogata plerumque muta, aut inconditos quosdam boatus edere, subin adiaphora visa.

Interim bene appetebat, cum pulsu sano, cæterasque functiones omnes rite exercebat; somno hinc inde interrupto.

Cum Plethorae signa non adessent, neque aliud symptoma urgeret, a venæfæctione, quam in quacunque Maniæ specie,

&amp;

& non raro ad animi deliquium usque, plerumque in sanitatis noxam celebrari a multis, imo ad insurgentem quemlibet utut mitissimum furorem audacter repeti neveram, abstinendum duxi; neque purgantia valida, ne sanitati obfsem, porrexi; sed leni eccoprotico dato, pacare mentem studui, quam methodum in hoc malo, puro tamen ægrotantis corpore, pulchre mihi ubique successisse, expertus sciebam; hinc mane & hora cubitus opium ad granum unum a principio, sensim ad grana duo, de die bis extractum Hyosciami a grano uno ad grana tria per quatuordecim dies exhibui. Ad horum usum delirium reddebatur jocosum magis, sensim disparente furore omni, ita ut patiens in risus persæpe, ineptos tamen solveretur, redibatque de nocte tranquilla quies.

Desistebam exposit per octiduum  
ab horum remediorum usu, ut, quid  
interea eveniret, re soli naturæ commis-  
sa, intelligerem; ideam tamen diluere,  
menti continuo obviam, illamque iner-  
mem reddere, aut forte, ut ad tempus  
sileret, efficere, serio studebam; hinc  
labores indies varios, non difficiles ra-  
men, in consortio aliarum peragendos  
imperabam, ut sensorio communi ceu  
totidem nova indies objecta offerrem,  
& sic illud a morbo desuescere face-  
rem. Obibat strenue injunctum labo-  
rem; sed cum inde non plus proficeret,  
ad ulteriore usum anodynorum redi-  
bam. Hoc itidem per quatuordecim dies  
incassum protracto, seposita omni arte,  
injuncto, quem indies absolveret, salu-  
bri labore, experiri Electri vires mecum  
statuebam hoc fine, ut insuetum motum  
inducerem, qui in sensorium commune  
ageret,

ageret, mensesque promoverem, utero  
prospiciens, cuius miram in universum  
corpus, præprimis mentem, regiminis  
actionem non ex HELMONTIO solum,  
sed & propria experientia multa vice  
doctus noveram, sique forte pristinam  
sanitatem revocarem.

Catena itaque concutiente pedibus  
supposita, per manum jam dextram,  
jam sinistram octo utrinque succussus  
applicabam, continuando hanc opera-  
tionem indies per octiduum, sensim au-  
gendo succussus ad duodecim.

Præter urinam liberalius fluentem,  
pulsum ab operatione citatiorem, sudo-  
rem horis præprimis matutinis copioſio-  
rem, motumque manuum & pedum,  
quo percelli post electrum videbatur  
patiens, tremulum, observare insoliti  
nihil erat.

Intermittebam operationem per octo dies, ut, quid interea contingere, experirer; rebus vero iisdem manentibus, Electrum denuo tentabam, atque jam quindecim succussus per utramque manum singulis diebus, ad decimum quartum usque applicabam: ex quo sensim, & tandem observabatur major mentis serenitas, ita ut per intervalla apte respondere ad interrogata, matrisque mortem morbi sui causam accusare sciret, sibi, ut ad patrem redire liceret, laborum in æde paterna sustinendorum sociæ, impensissime & iterato rogans, torosa cæteroquin adhuc, & bene fana.

Desistebatur denuo per decem dies ab Electro: concedebam interea, cum expeteret, præter diætam jam liberaliorum, ut aliquoties de die cum ministra urbem frequentaret, corpus deambulatione exerceret, mentemque diverteret;

ex

ex quo loquacior jam, sed subin ad-  
huc incompte satis garrula, audacior-  
que, effugere clam fatagebat, ministræ  
imponere visa. Redire eam denuo ad  
Electrum jubebam, jamque viginti con-  
cussus applicabam.

Quarto jam die sentiebat obtusum  
capitis, præprimis cervicis, lumborum  
vero tensivum dolorem; insurgebat pul-  
sus, cum respiratione nonnihil laborio-  
sa, insomniis, tristitia hucusque insolu-  
lita.

Seposto Electro, altero mane bal-  
neum pedum & vaporem aquæ calidæ  
partibus verendis excipiendum suadebam;  
increscabant inde lumborum dolores,  
donec quarta pomeridiana menses erum-  
perent primi, per quinque dies large  
fluentes, quos mox integra mentis sere-  
nitas excipiebat.

Discessit paulo post moræ impatiens  
ad suos, tota sana, constanter exinde &  
in diem hodiernum optime valens.

---

## C A S U S II.

MENSES PRIMI POST EMENDA-  
TAM CHLOROSIN ELECTRO  
PROMOTI.

**B**arbara Ö... novendecim annorum  
virgo, nunquam menstruata, a tri-  
bus jam annis chlorotica, conqueritur  
de continuo dolore capitis, cum verti-  
gine, susurru aurium, somnolentia fere  
continua, respiratione semper difficiili,  
ad minimum vero motum laboriosissi-  
ma, anhelosa cum palpitatione cordis,  
frequenti animi deliquio, pulsu debili  
frequenti, lingua onusta, nausea, ano-  
rexia, gravamine ab absumptis, imi ven-  
tris, & pedum tumore, urina aquosa,  
alvo

alvo varia; plerumque liquida, frigore  
extremorum, laffitudine, tristitia &c.

Priming viis rheo cum floribus cha-  
momillæ & Pilulis Ruffi per aliquot  
dies expurgatis, ordinatur Tinctura Mar-  
tis vinoſa cum cinamomo; ex cuius uſu,  
cum diæta convenientiæ, frictione insu-  
per imi ventris, & pedum a principio  
leni, sensim adaucta, per mensis spati-  
um protracto, disparuit tandem tumor,  
rediit vultui gratia, menti serenitas, cor-  
pori agilitas, & vigor, functionumque  
omnium integritas.

Abſtinentiam a potibus tepidis, de-  
bitamque diætam, una cum corporis  
motu ferio monebam, cumque patiens  
ob mensium defectum, quem mali ſui  
cauſam accusabat, priſtini languoris re-  
cidivam anxia timeret, eosque ut qua-  
cunque arte promoverem, iterata prece  
instaret, tentabam lenium emmenago-

A 5 gorum

gorum usum, cum balneis pedum, & vapore aquæ calidæ ad muliebria admisso, ut resistentiam vasorum uterinorum minuerem, actione cordis jam satis vegeta; pulsu quippe & forti satis, & pleno: sed incassum.

Hinc citra ulterioris artis periculum, omne negotium Electro committebam: catena pedibus subdita; jam per unam, jam alteram manum sex concussus communicabam; hacque operatione per quinque dies administrata, præter urinam copiosiorem, motum in hypogastrio insuetum, tremoremque pedum subsilientem, mox ab admoto Electro ortum, observare insoliti nihil erat.

Sexto die post noctem laboriosam, insomnem, oriebantur dolores lumborum, una cum spinæ dorsi, & cervicis doloribus tensivis, cum febre, pulsu namque erectiore, frequenti siti, gravitate

vitate corporis, diarrhæa, imo ventre  
prætumido, anorexia.

Abstinebam ab Electro, & ut ante cubitum, præter pedum balneum, cui per dimidiatam horam insideret, vaporem calidæ verendis exciperet, frigus caveret, serio monebam.

Post noctem itidem satis molestam, altero mane erumpebant menses primi, prægressis levibus convulsionibus hysterics, & excretione urinæ aquosæ copiosissima. Conquerebatur interea patientis de ingenti dolore capitis, lassitudine, dolore imi ventris spasmودico, quæ omnia dato mane & vesperi sale sedativo Homb. sensim remittebant; fluxu interim in sextum diem perdurante, copiosissimo, quem alvus quater de die liquida excipiebat, mox sponte remittens. Valedixit paulo post nosocomio patientis, adque suos rediit tota sana.

C A-

## C A S U S III.

MENSES A FRIGORE SUPPRESSI,  
CUM SUBSEQUA CACHEXIA  
ELECTRO REVOCATI.

*C*hristina S.. annorum viginti septem, cælebs, conqueritur de mensibus jam a biennio post frigus tempore menstruationis incaute suscepimus, subito suppressis, tota cacheœtia, cum caco-chymia mucosa, hypopiis tumidis, pedum tumore œdematoso, respiratione, ad lenissimum motum perquam difficulti, appetitu prostrato &c. languida, torpida, anxia.

Primis viis per Pilulas Ruffi semel leniter expurgatis, ex usu dein infusi squillæ vinosi cum Marte, Rheo & cinnamono, aliquamdiu protracto, liberalius secessit urina, aquosa semper, succedit sputum mucosum copiosum, horis

præ-

præprimis matutinis, disparuit sensim,  
& denique tumor.

Sdeposita squilla, dein ope Tincturæ  
Martis vinofæ cum cinamomo, & rheo-  
exsiccato, una cum frictionibus pedum,  
imi ventris, siccis, post trium septima-  
narum lapsum rediit appetitus, ne vul-  
garia quidem spernens, paulo post agi-  
litas, vigor, & instauratio corporis, ita  
ut mensis unius spatio penitus redinte-  
grata videretur.

Post octo dierum moram, ut pa-  
tiens ex integro sana dimitti denique  
posset, negotium mensium promoven-  
dum, & expediendum videbatur; hoc  
tamen artis medicamentosæ officio utut  
efficaci committere nolebam, de olei  
sabinae virtute inimitabili, opio subin-  
remixti, experientia utut certus, partim  
ut tempori, ut sumptibus partim, pa-  
tientisque palato parcerem, in primis  
autem,

autem, ut de Electri efficacia magis magisque edocerer, hoc quantocyus experiri, statuebam; catena itaque pro more pedibus subiecta, manu jam una, jam altera positivæ admota, decem succussus applicabam.

Mox a prima operatione oriebantur enormes lumborum dolores, cum largo exposit urinæ aquosæ fluxu, alvoque aliquoties soluta.

Post secundam altero die operationem, patiens somnolenta admodum, conquerebatur de dolore capitis, quem eodem mane excipiebat larga narium hæmorrhagia, cum pulsu nonnihil citatiore.

Deposito per triduum Electro, præter balnea pedum, bis de die vapores aquosi verendis excipiebantur.

Redibam quarto die ad Eleætrum, duodecim jam concussus applicando ex utraque manu.

Orie-

Oriebantur paulo post sine hæmorrhagia narium vehementes lumborum dolores, cum febre, urina larga, diarrhæa, insomniis de nocte.

Altero mane erumpebant menses, per septem dies large fluentes, quos integra & constans sanitas exceptit, statu ex-post tempore redeuntes.

---

#### C A S U S IV.

MENSES PRIMI, UNA CUM TUMORE TYMPANITICO POST NUMEROSAM VERMIUM EXCRETIONEM, ELECTRO SOLUTI.

Eva B... ancilla, rustica, viginti annorum, nunquam menstruata, ab aliquo jam tempore languens, conqueritur de dolore lateris siuistri sine prævictam frigore orto, cum tussicula sicca, frequenti, respiratione nonnihil molesta,

fine

fine calore notabili, cum pulsu exili, facie cacheœtica, pupilla dilatata, sapore oris, præprimis jejuno ventriculo, fætidio admodum, appetitu jam pridem dejesto, nausea, vomitu æruginoso frequentissimo, deliquio animi, quod insolutus & ingratus motus in ventriculo, sub in ad regionem umbilicalem præcedere solebat, pruritu narium, cum hæmorrhagia persæpe recurrente, urina alba cum sedimento albo mucoso, alvo liquida, somno plerumque perturbato &c. Ad mitigandum dolorem lateris nosocomio ad S. DIETHERICUM nondum recepta venæctionem me inconsulto jam admiserat, animi deliquio exceptam. Sanguis stando exhibebat serum in membranam tenuem ex flavo viridiuſculam concretum, sub ea grumulos nigros paucos, distinctos, fundo orbis tenaciter adhaerentes.

Cum

Cum ex his liquido intelligerem, morbum non esse de inflammatorum genere, tussimque, forte & dolorem lateris consensualē esse, id quod in praxi plus una vice observando didiceram, interdicebam ferio, de ulteriori venæfetione, ægramque mox vino reficiebam; cumque de vermibus omnia symptomata testarentur, altero die Asam fœtidam porrigebam, cuius usum, cum mox dolor lateris & deliquium animi mitescerent, in tertium diem protraxit. Ordinavi dein mixturam ex vino, oxym. squill. pulv. rad. jalapp. & valerian. sylv. cum vitriolo Martis factitio quater per diem ad unciam unam sumendam. Solvebatur inde alvus per diem aliquoties, & copiosus insuper mucus excernebatur. Quinto jam die vermes rotundi sex, octidui denique spatio ultra centum, cum incredibili copia muci ano secedebant, &

B

immanni

immani quantitate ascaridum, vomitu  
jam omnino remittente.

Interea, cum patiens conquereretur  
de ingenti virium dejectione, pulsu utut  
insurgente, dolore disparente, absente  
jam animi deliquio, cæterisque sympto-  
matibus aut evanidis penitus, aut remis-  
soribus, oblataque omnia, carnes præ-  
primis, earumque juscula extremum nau-  
searet, solum lac ebutyratum, quod avi-  
dissime expetebat, lubentissime conce-  
si, hocque solo vitam & vires sustentavi,  
per omnem enim decursum morbi hoc  
& non alio potu recreari voluit; absump-  
tis indies ad minimum sex libris: absti-  
nendo jam ab ulterioribus evacuationi-  
bus, porrigendo mixturam ex decocto  
cort. peruv. cum aqua cinamomi, &  
Elix. vitriol. Viribus nonnihil instaura-  
tis, redibam ad pristina evacuantia, ex  
quorum usu per quinque dies protra-

intus.

Eto

Et o una cum muco copioso, numero-  
fissima lumbricorum excretio sequebatur,  
sed non sine insigni debilitate.

Seposita arte evacuante, decocto cor-  
ticis viribus consulendum duxi; sicque  
alternatim purgantia & cortex in usum  
trahebantur, donec ad finem tertii men-  
sis integri vermium glomi una cum  
muco ano solverentur.

Jam ægrotantis res in vado positas  
dixisse: videbantur & ita positæ; pa-  
tiens enim levem se, & agilem, imo  
redintegratam penitus pronuntiabat,  
ostendebat.

Interim nausea, & nonnullus fapor  
fctidus præprimis de mane jejuno ven-  
triculo, dubium me reddebat, & non  
sine ratione; paulo enim post insurgebat  
tussis a principio sicca, molestissima,  
dolor imi ventris, & lumborum, acce-  
debat sputum tenax, glutinosum co-

B 2 piosissi-

piolissimum, tumor imi ventris tympaniticus.

Abstinebam mox ab omni evacuante, solumque oxymell squilliticum concedebam; & cum alvus in tertium diem clausa esset, enema emolliens, carminans applicari jubebam, unde cum alvo itidem mucosa copiosissimi flatus secedebant, tumore nonnihil remittente.

Prodibant sputa cum insigni levamine per integros octo dies. Quibus disparentibus limaturam Martis cum cortice peruviano & cinamamo, cum vino, scopo roborandi aliquamdiu propinabam, imoque ventri post frictions siccas cataplasma ex cort. peruv. herb. amaris, & aromatibus cum vino paratum persæpe quot diebus applicandum jussi, unde patiens sensim insigniter emendabatur: increscere enim appetitus, disparente nausea, redibat faciei color,

color, torofitas corpori, omnesque  
aliæ functiones rectius procedebant; imo  
ventre tamen continuo tumente, tumo-  
re per vices auctiore, semper tympanitico.

Gaudebat misella de devicto eous-  
que morbo; ut abesse tamen bona arte  
tumorem omnem, mensesque prodire  
facerem, ipsamque ancillaribus denuo  
laboribus parem redderem, quotidiana  
prece efflagitabat: unde citra ulte-  
rioris artis tentamen, Electro rem tra-  
didi: hinc catena concutiente pedibus  
circumdata jam per dextram, jam læ-  
vam octo concussus eliciebam.

Post primam hanc operationem ex-  
plodebantur ano numerosissimi flatus,  
quos inhibere patiens non poterat, tu-  
morque abdominis subsidere multum  
cœpit, disparente lumborum dolore  
urinaque jam copiosius prodeunte.

Post secundum tentamen tertio die suscepsum copiosissimi itidem fatus secedebant, cum tumore ex integro disparente, alvo insimul aliquoties aperta; ast paulo post monebant novi lumborum dolores, ingrediebatur febris cum siti, & nox insequens insomnis erat.

Præter balnea pedum, & vaporem calidæ sinu verendo excipiendum, quarto die denuo Electrum ad duodecim succussus applicabatur: quo facto patiens tremore universali, præprimis pedum perculta, cum sensu frigoris selesto committebat, post horam, remittente tremore & frigore prodibant menses, per integrum octiduum fluentes, cum integritate laboriorissimæ ancillæ, quæ modo in æde paterna rusticos labores obit sanissima.

CA-

## C A S U S V.

MENSES AB IRA SUBITO SUP-  
PRESSI, CUM HAEMOPTISI, VO-  
MITU CRUENTO &c. ELE-  
CTRO REVOCATI.

**C**hristina W... novendecim annorum,  
virgo civis hujatis filia, prævie sa-  
na, sanguinea, torosa, tempore menstrua-  
tionis ob injuriam illatam, subito exarde-  
scit ira, mensibus mox cessantibus: Incipit  
& mox languere animo, capite dolere,  
gravari corpore, in respirando angi.

Lugetatur cum his malis per integ-  
rum mensem, ad redeuntem ex post  
periodum solitam subito increscentibus,  
accedit & febris, cum æstu circa pe-  
ctus, tussi molestissima, quam mox  
excipit sputum sanguinis triduum du-  
rans, quo tempore ad minimum duæ  
libræ sanguinis floridi, spumosi, utique  
per anastomosin, ejiciebantur: cessat

inde tussis cum anxietate & febre, cætraque symptomata disparere videntur.

Præter venæsectionem satis largam, primo jam die institutam, clysteres, balnea pedum una cum arte antiphlogistica, diæta debita, tenuissima, una cum anodynis denique, rarefactionem sopientibus in usum convocabantur.

Post octo dies ad novam iram, novus insurgit dolor capitis, nova febris, accedit dolor ad ventriculum pulsatorius, cum nausea, levibus delinquentis animi signis; mox suboritur vomitus sanguinis nigricantis, omni mane & circa vesperam recrudescens, per duos dies affligens, quo silente quarto die insequitur post ingentes lumborum dolores, mihius cruentus per octo dies cum leni stranguria persistens, hunc mox hæmorrhagia narium, hanc denuo hæmoptisis, hanc vomitus denique excipiebat: hasque

que excretiones statum servasse ordinem dixeris; una enim alteram, lege quasi posita, per integras sex septimanas insequebatur, hoc tenore, ut haec symptomata per diem unum vel alterum remitterent ferociam, subin per diem silerent omnino: vomitu tamen cruento præ aliis urgente.

Pulsus quamlibet excretionem citior prævie monebat: appetitu interim per omnem morbi decursum utcunque bene vigente; neque patiens quoad corporis habitum multum decrevisse videbatur.

Venæfæctiones crebræ, præprimis in pede celebratæ, purgantia eccoprotica iterato data, quibus plerumque sanguis coagulatus secessit, balnea pedum, evaporationes aquosæ verendis exceptæ, cura antiphlogistica, anodyna, Emmenagoga lenia, imo acida fossilia bene di-

luta, ut humorum æstus & rarefactio  
pacaretur, cum diæta tenui admodum,  
conveniente &c. inducias quidem ma-  
li procurarunt, sed paulo post denuo  
recrudescentis: hinc promovendis men-  
sibus studere, ratum mihi ducens, missa  
omni arte, Electrum consulebam.

Catena femoribus circumdata, jam  
per hanc jam alteram manum octo  
concussus applicabam, quos præter lum-  
borum dolorem paulo post ingens uri-  
næ profluviū sanguine admodum tin-  
etæ excipiebat. Pulsus ab operatione  
numerabantur nonaginta minuti primi  
spatio, cum ante Electrum essent tan-  
tum septuaginta sex.

Post noctem non adeo tranquillam,  
altero mane nulla excretio præternatu-  
lis observabatur: nausea sola urgente.

Pro potu ordinario interim aquam  
cum succo citri & faccharo, grata aci-  
dam,

dam, cremorem hordei dilutum cum succo citri, fructus horæos in cibum concedebam; clysteres, balnea pedum ante cubitum, cum evaporationibus humidis ad verenda, & salis sedativi grana decem ordinabam, atque ut a frigore, calore nimio, animi pathemate, præprivatis ab ira sibi caveret, serio monebam,

Tertio die duodecim Electri concussum communicabam. Sequebatur itidem præter dolorem lumborum larga urinæ, sed sanguine non ita saturate tintæ excretio. Pulsus numerabantur octoginta septem.

Quarto die post noctem insomnem patiens utcunque bene se habere asserebat, dolorem spinæ dorsi accusans, & nonnullum in pedibus torporem. Applicabantur denuo duodecim concussum cum eodem effectu, nisi quod urina jam flueret sanguine nihil tintæ.

Quin-

Quinto die post noctem pacatiorem  
urgebant de mane dolores spinæ dorsi  
& lumborum, cum conatu vomendi.  
Abstinebam ab Electro.

Sexto die præter symptomata mox  
recensita monebat dolor capitis gravatus,  
pulsus erectior, citatus, sitis, re-  
spiratio difficilis. Ordinabam mox cly-  
sterem antiphlogisticum, & balneum  
pedum, evaporationesque consuetas.

Hora quinta pomeridiana erumpe-  
bant menses, quos sputum sanguinis præ-  
cedebat, mox cessans. Pergebat fluxus  
per septem dies copiosus admodum,  
cum lenimine omnium symptomatum  
sensim succedente, & plena tandem eu-  
phoria.

Abstinui ab omni remedio, patien-  
temque debitæ diætæ subjeci, ut im-  
posterum a valido animi pathemate  
abstineret, iterato monens: Sic paulo  
post

post rediit pristina integritas, statoque tempore rediere menses, quos itidem præcedebat sputum sanguinis ad apparentes menses cito desinens citra metum exulcerationis pulmonum, vasis per anastomosin tantum dilatatis.

## C A S U S VI.

SUPPRESSIO MENSUM CUM  
CHLOROSI, ELECTRO  
CURATA.

Christina F. .... annorum septendecim, virgo, anno ætatis suæ decimo quinto primos menses experta, cito ex ignota sibi causa, disparentes, ab eoque tempore singulis periodis fluorem album accusat, cum dolore lumborum, capitis gravitate, artuum pondere.

Luctatur cum his ærumnis usque huc, sensim chlorotica facta, cum abdomi-

dominis tumore tympanitico , respira-  
tione difficiili, ad motum anxia, ita ut  
ascendere gradus ægerrime , & nonnisi  
cum suffocationis periculo , & cordis  
palpitatione enormi posset, aliisque sym-  
ptomatibus huic malo quotidianis.

Sumpto rheo cum floribus chamo-  
millæ, & semine fœniculi, primisque  
viis inde per aliquot dies leniter repur-  
gatis, præter frictionem imi ventris sic-  
cam, a principio, inunctionem exposit  
cum oleo camphorato, limaturam Mar-  
tis , cum cinamomo per extractum ab-  
sinthii in formam Pilularum redactam,  
a minori dosi incipiendo, una cum diaæ-  
ta conveniente vinosa, ita tamen , ut  
sensim huic assuesceret, sibi hucusque  
insolitæ , ordinabam.

Tertia jam septima ex horum usu  
ita profecerat, ut descendere per decli-  
via , per acclivia ascendere sine magno  
in-

incommodo posset, indiesque e culina  
viētum sibi & aliis apportaret, numero-  
sos gradus ascendendo.

Post quartam septimanam tumore  
omni evanido, corpore instaurato, ap-  
petitu vigente tota sana incedebat.

Abstinebam ex post ab omni reme-  
dio, servata tamen solita diæta, una  
cum frictione imi ventris sicca; motum  
præterea corporis favente aura suscipien-  
dum serio monens.

Solito fere tempore redibant dolo-  
res lumborum, cum pulsu erectiore  
jam, & frequentiore, capitis gravitate,  
in tertium diem perdurantes, cum fluore  
itidem albo, quin redirent menses rubri.

Quarto die me jubente adibat Ele-  
ctrum, & solito tenore octies concussa  
incidebat mox in largam hæmmorrhia-  
giam narium, quæ quamlibet sequenti-  
bus diebus operationem excipiebat.

Absti-

Abstinebam mox ab ulteriori tentamine, usque in futuram periodum: hæmorrhagia narium interim cessante.

Ad alteram periodum, ubi febris cum lumborum dolore denio monebat, mox eam ad Electrum redire jubebam, cum duodecim jam succusuum tentamine: & ecce altero jam die apparerebat solitus fluor albus, aut si mavis, menses albi, quos post biorium excipiebat debitus fluxus menstruus, per quatuor dies persistens, cum optima compta virginis sanitatem, quæ paulo post e nosocomio ad matrem discessit torosa.

---

C A S U S VII.  
SUPPRESSIO MENSUM IN QUADRA  
GENARIA ELECTRO  
SUBLATA.

lisabetha W... quadraginta annorum, cælebs, ægrotantium in Ju-  
lia<sup>o</sup>

liæo ministra , conqueritur de emanſione mensium per dimidiatum annum, cum gravitate corporis, manuumque torpore, de cætero utcunque ſana, atque ut ſibi liceret, virtutem Eleætri cum aliis experiri, impeneſe rogar.

Conceſſi: catenaque pro more pendibus ſubjecta, per manum dextram decem concuſſus ſibimet applicabat. Biho-  
rio poſt eruperunt menses citra incom-  
modum per quatuor dies fluentes, quam  
eruptionem inſignis urinæ copia præce-  
debat, inſueto inſuper in volis manuum  
plantisque pedum ſudore percepto: al-  
vus inſuper per tres dies ſuppreſſa ſolve-  
batur, in diarrhæam poſt triduum du-  
rantem deſinens, ſponte denique remit-  
tens, cum majore patientis agilitate, &  
prospera valetudine.



C

C A-

## CASUS VIII.

MENSES DIU SUPPRESSI ELE-  
CTRO MOX RESTITUTI.

Gabina M... octodecim annorum, virgo, a sesquianno suppressione menstruorum sine manifesta causa laborans, præter aliquam ad motum citatiorem anxietatem, & palpitationem cordis, ut cunque bene sana, confodales visitatura, nosocomium frequentabat; cumque ab aliis Electri vires in promovendis mensibus intellexisset, & nonnullas tentamen subire coram videret, cordata & ipsa accedit: & ecce post primum succussum, insolitum quendam motum in hypogastrio percipit, cum delinquentis animi signis: recedit a machina, & jam prodire menses advertit, qui stato tempore, uti intellexi, redierunt.

CA-

## C A S U S IX.

MENSES, CUM CACHEXIA, ET  
TUMORE ABDOMINIS PER BIEN-  
NIUM SUPPRESSI REVOCATI.

*G*ophia W... 17. annorum, virgo, ad  
decimum quintum ætatis annum pri-  
ma vice menstruata, ab eo tempore sine  
manifesta causa, defectum mensium ac-  
cusat, a dimidiato anno languida, tor-  
pida, anxia, difficulter respirans, cache-  
ætica, cum tumore imi ventris, tristitia  
insolita, anorexia, alvo ad quartum ple-  
rumque diem clausa, pulsu utcunque  
fano, debilitate.

Post Rheum cum flor. chamom.  
per aliquos dies sumptum, præter dia-  
tam eupeptam, frictionesque abdominis  
ficcas, usui Tincturæ Martis vinosæ cum  
cinam. Per integri mensis decursum insi-  
stebat; ex cuius usu insigniter emenda-

C 2

batur,

batur, facie jam vivida, & lāte rubicunda, omnique corpore ex integro instaurato.

Interim tumor abdominis nihil diminuebatur, imo potius increscere indies videbatur, adeo, ut eam gerere utero plures crederent.

De integritate optimæ hujus puellæ aliunde cerrus, eam Electro subjiciebam, consueta ratione duodecim concussus applicando. Citra evacuationem notabilem paulo post eodem die disparebat tumor imi ventris; altero mane insurgebat dolor cervicis, & lumborum, cum gravitate totius corporis, pulsu nonnihil vegetiore, & paulo frequentiore.

Seposto Electro rem naturæ dedi. Pergebat hic dolor cum levi febre in tertium diem, quo circa vesperam abdomen ingenter dolere, & in magnam molem protuberare cœpit; donec paulo post  
eodem

eodem die erumperent menses, per novem dies in magna quantitate fluentes. Disparebant sensim dolores, disparebat & tumor, postque solutum tributum integra sanitas rediit. Moratur adhuc, dum haec scribo, in nosocomio, post aliquot dies discessura.

Possim memorare plurimos adhuc casus, fido calamo a me notatos, qui de virtute Electri Emmenagoga testarentur; cum vero cum recensitis vix non iidem sint, ne crambem bis coetam offerrem, his superfedendum duxi.

---

### C O R O L L A R I A.

abet itaque Electrum certo modo applicatum insignem vim menses pellentem.

Auget enim potentias moventes, ut valeant contra vasa uteri, densi,

C 3 &

& tactu solidi satis, dilatationi suæ resistentia, & non adeo facile distendenda, hisque potentiis urgentibus, prævalentibus cedentia, amplianda.

Auget per consequens humorum motum, forte & illum, qui lege naturæ, modo inexplicabili, certo tempore, certa periodo ad uterum determinatur potius, non ut depleteatur corpus plethora grave, sed quæ princeps fluxus uterini ratio est, ut fœcunditas uteri servetur; ibique plethoram, si velis, insuetam inducit, vaſa replet, dilatat, ut, cum antea rorem in uteri cavum eructarent, jam in finibus suis ampliata per veram anastomosin naturalem, sanguinem rubrum, præprimis ad fundum uteri, dimittant, vi concutiente, derivante excitat, promovet, juvat, æmulatur.

Ipsissima enim symptomata, quæ prodituros naturaliter menses præcedere

fo-

solent, Electrum utcunque excipiunt.  
Docent id febris, dolores spinæ dorsi,  
lumborum, pondus ad pubem, pruri-  
tus &c.

Errantes & menses, & in alias par-  
tes irruentes vitio e. g. uteri nimium re-  
sistens &c. præter debitam artem, Ele-  
ctro a docta cæteroquin manu provide  
applicato, revocari pulchre poterunt,  
debebuntque, si alia ars non profecerit;  
Phthisis enim, aliaque mala truculentissi-  
ma sine hoc exspectanda erunt: In his  
autem circumstantiis operatio minus  
doctis, quos ab hoc opere semper ab-  
esse oportet, non committenda est.

Ante Electrum scopo Emmenagogo  
applicandum, præsto sit semper debita  
sanguinis rubri copia. In cacheoticis &c.  
usu Martis prius procuranda.

Cum per Electrum derivans concu-  
tiens, vis inferatur utero, fortissimi con-

cussus nunquam tentandi; hinc Electro-  
metro semper opus erit.

Gravidis citra abortus periculum  
hoc tenore nunquam applicari potest,  
neque applicandum iis, de quibus gra-  
viditatis suspicio est. Neque neomari-  
tatis, aliisve puellis, fæminis vel seimel  
concedatur, nisi certo sciatur, eas utero  
non gerere.

Hystericæ non ferunt validos con-  
cussus. His Electrum aut nunquam,  
aut rarissime, & nonnisi cum maxima  
circumspectione applicandum, & tum  
tantum, sin aliud ad pellendos menses  
remedium non suppetere videatur.

Paroxysmos hystericos horrendos  
mox a miti Electro ortos observavi  
in hysterica, quæ jam per septem annos  
cum hoc malo luctatur, tenerrima, sen-  
filiis.

In

In prædispositis ad hæmoptoën,  
aut jam hæmoptoicis ex prædispositio-  
ne, materies Eleætrica nunquam per pe-  
ctus derivetur, siñ scopo Emmenagogo  
indicaretur.

Neque tentetur Eleætrum, ubi men-  
ses jam fluere inceperunt, aut febris,  
cum calore acuto urget.



## CAPUT II.

ELECTRI VIRTUS  
IN RHEUMATESMO  
CHRONICO.

---

CASUS I.RHEUMATISMUS CHRONICUS  
CUM TOPHIS MANUUM ELE-  
CTRO CURATUS.

Barbara B . . annorum triginta quinque, rustica, cælebs, a quinquenio doloribus rheumaticis per periodos gravissime lacerata, ab ultimo anno, male ingravescente, neque remittente, letato continuo affixa, indeque extremorum motu privata, articulationibus digitorum manuum tophis cæteroquin obsessis ita, ut ægre moveri, neutiquam vero in pugnum complicari possint; pedibus,

dibus, ut incedere haud possit misera,  
acerbe dolentibus, rigidis, prætumidis;  
corpore cacheoticō, emaciato; defertur  
in nosocomium anno 1769.

Pulsus erat debilis, naturali paulo  
frequentior, urina pauca cruda, alvus  
tarda, appetitus utcunque bonus, no-  
ctes insomnes.

Primis septimanis præter diætam la-  
etiam ordinabatur solum decoctum Bar-  
danæ cum laetæ affatim bibendum.

Instauratis nonnihil inde vitæ viribus,  
præterea extraēto Aconiti indies ad gra-  
num dimidiatum partitis vicibus cum  
saccharo uti cœpit.

Ad quorum usum per trium septi-  
manarum spatiū protractum, præter  
noctes jam pacatores, transpirationem  
præprimis post somnum, horis anteluci-  
canis auctiorem, dolores multum remit-  
tebant, imo per intervalla filebant; uri-

na

na flocculenta secedebat, liberalior, & post moram parietes matulæ calce incrustans; appetitu vigente.

Insistebatur horum usui ulteriori per quatuordecim dies, & manibus insuper fomenta ex aqua calcis vivæ cum sapone veneto admovebantur de die, alvusque pariter eccoprotico leni ducebatur: servata ubique diæta lactea, cum copioso potu decocti Bardanæ cum lacte.

Præter sudorem jam horis præcipue matutinis profusum, urina & copiosa secedebat per diem, filis mucosis plena, cum notabili doloris ad partes affectas remissione, indies majore; tubera insuper tophacea emolliri nonnihil, & mole decrescere videbantur.

Cum interea malum insigniter decrescere lætus cernerem, continuabam consuetam hucusque artem per dies ad-  
huc

huc decem; jamque juscula carnium,  
olera mollia, fructus horæos pro lubitu  
concedebam; decocto hordei cum laetè,  
in vicem Bardanæ decocti, quod nau-  
seabatur admodum, substituto: laxante  
denique ad finem dato.

Mire proficiebat patiens, eo usque  
quidem, ut dolores absolverent peni-  
tus, moveri digiti citra omnis doloris  
sensum, & volis jam apprimi sensim  
possent; appetitu cæteroquin vigente,  
somno pacato, reficiente: sudore in-  
terea fetido jam, & urina filamentosa  
indies largis.

Interim affligebat adhuc in brachiis  
torpor, in manibus pedibusque imbe-  
cillitas, & impotentia quædam, ita ut  
prehensa manu teneri diu, pondus vel  
leve admodum attolli, pedibus insisti,  
aut sine scipione incedi non posset; ad  
quodlibet enim gressus tentamen, tre-  
mor

mor cum lapsus periculo ancipitem pedem revocabat: tophi interea moliores erant, & mole minuti.

Abstinebam ex post ab arte, & vires interea jusculis carnium, carnis tenebris elixis, vinoque jam aqua bene diluto reficiebam: frictionibus fiscis cum pannis laneis, fumo succini imprægnatis, partibus obseßis aliquoties de die applicatis.

Corpo sufficienter instaurato, Electri vires periclitari mecum statuebam.

Catena pedibus submissa, per manuum tophos, unum ex altero Electricitati positivæ admovendo, indies a principio octo, sensim duodecim, viginti tandem succussus eliciebam; atque huic tentamini per integras sex septimanas, posito septem, cum menses fluerent, dierum intervallo, insistebam.

Pro-

Prodibat continuo urina in magna copia, filis mucosis saturatissima, cito quandoque ad latera matulæ calcem deponens, aqua calcis solvendam; prodibat & sudor indies, & ad finem fœtidus, glutinosus, isque præprimis in volis manuum; disparebat torpor, redibat sensim pristina mobilitas, robur, & torositas; tophis sensim, & ex integro tandem solutis, disparentibus; adeo ut Patiens expost & firmo talo insistere, & gressus jam non dubios facere cum alacritate posset, dimissa expost, tota redintegrata, ex eoque tempore sedula in nosocomio ægrotantium ministra, hucusque sine novo paroxysmo, aut sanitatis læsione, & in diem hodiernum quamoptime valens.

---

---

C A-

## CASUS II.

RHEUMATISMUS CHRONICUS  
CUM CACHEXIA, ET MENSIMUM  
SUPPRESSIONE ELECTRO  
CURATUS.

A nna W .. annorum viginti octo, cælebs, a tribus jam annis doloribus rheumaticis vagis misere vexata, deferatur in nosocomium Anno 1772. tota cachetica, cum tumore abdominis, manuum & pedum, præprimis ad genua, brachiorumque articulationes, cum immobilitate, respiratione difficiili, urina pauca, aquosa, pulsu debili, appetitu dejecto, corporis universi languore.

Primis viis per Pilulas Ruffi leniter expurgatis; Conserva Cochleariae cum Marte uti cœpit.

Insistebatur huic arti præter frictiones imi ventris, vinum amarum, & diætam convenientem, per tres septimanas.

De-

Derumescebat quidem imus venter, redibat appetitus, urina jam cocta mittebatur, respiratio emendabatur, insurgebat pulsus, faciesque de evexia testabatur; interim perseverabat tumor & dolor, hicque per vices increscens ad genua & cubitorum articulos.

Præter diætam convenientem, analecticam ubique, cum abstinentia tamen jam a vino, Extractum Aconiti indies ad granum semis cum saccharo, partitis vibus, moxque largum decoctum Quajaci superbibendum ordinabam, hisque per tres septimanas insistebam.

Excipiebat horum usum largus indies, & præprimis horis matutinis, post somnum utcunque bonum, sudor, & universalis quidem, cum urina jam floculenta, calcem stando deponente: interim pergebant dolores, tumore utrum nonnihil imminuto.

D

Con-

Consulebam Electrum, hocque per utramque manum alternis vicibus, catena tarso circumdata, a principio ad decem, tandem ad sedecim succussus applicabam; continuato tamen Aconiti usu.

Operatione per tres septimanas indies repetita, quam plerumque formicationis sensus in brachiis præprimis excipere solebat, præter urinam quot diebus largam, floccis mucosis opacam, matulam incrustantem, sudor copiosissimus quot mane post somnum præcipue, & fætidus quidem erumpebat, insurgebat pulsus ab operatione singula per quadrantem horæ vigens, & cum disparente sensim tumore, rediit articulis pristina mobilitas, & ope frictionum siccicarum expost vigor, rediit insuper suppressus per biennium fluxus menstruus cum integra sanitate.

CA-

C A S U S III.

ISCHIAS NERVOSA ELECTRO  
SUBLATA.

A nna Maria A... fæmina triginta  
octo annorum, trium prolium ma-  
ter, temperamenti atrabilarii, ex frigore  
incaute suscepito incidit in dolorem co-  
xarum, graviter afflagentem, dolore,  
sursum vergente ad os sacrum, deor-  
sum ad poplitem usque vim suam ex-  
tendente, tandem in dorsum pedis dex-  
tri desinente, sub vesperam plerumque  
exacerbato, ut aut committere se lesto  
deberet, aut nonnisi ægerrime, & clau-  
dicando tantum, aliorumque auxilio  
nixa, incedere posset.

Per integras sex septimanas hoc  
malo afflita, tandemque lenimen im-  
pense roganti applicabantur octo succus-  
sus Electrici per manum dextram, ca-  
tena pedi dextro submissa.

D 2

Sen-

Sentiebat subito se & ex intregrō  
emendatam, ita ut erecta jam, & sola  
sine omni doloris sensu conclave obam-  
bularet; quin excretionem aliquam, vel  
mutationem in corpore factam observare  
esset.

Recrudescebat de nocte pristinus do-  
lor, oborto de mane sudore copioso,  
universal remittens, cum urina turbida,  
pulsu naturali frequentiore.

Continuabatur per quatuordecim  
dies Electrum, sensim ascendendo ad  
succussus viginti.

Singulas operationes excipiebat re-  
missio notabilis, & persæpe plena inter-  
missio doloris, de nocte plerumque no-  
viter exacerbati, una cum sudore post  
operationem plerumque mox oborto,  
urina expost larga, sedimentum album,  
mucosum deponente, pulsu insuper per  
dimidiatam horam citatiore, sensim ad

naturalem redeunte; hoc cum effectu,  
ut dolore sensim a principio mitescente,  
tandem omnino cessante, patiens decimo  
sexta die omni incommodo libera, alaci  
pede gressus faceret: dolore non amplius  
redeunte; sumpto laxante post aliquot  
dies sana dimissa.

---

## C A S U S IV.

RHEUMATISMUS CUBITUM PER-  
TINACITER OBSIDENS ELE-  
CTRO SOLUTUS.

**C**hristina F... superius jam memo-  
rata, a primo morbo per integrum  
annum bene valens, corripitur horripi-  
lationibus per diem vagis, cum subse-  
quo ubique calore fugaci, doloreque  
ab una in alteram partem errante, jam  
lumbos, jam brachium, jam manum  
obsidente.

D 3

Ter.

Tertio die post frigus jam intensius, calore majori exceptum, subito sentit dolorem vehementissimum in cubito, crescentem continuo cum tumore sensim aucto, & immobilitate, cum febre, siti, dolore capitis, insomniis.

Tentatur hoc malum a chirurgo variis remediis externis per aliquot septimanas; dolore interim nihil remittente; imo potius indies exacerbato.

Nostræ tandem curæ committitur. Præter venæfctionem largam, clysterem antiphlogisticum, serum lactis cum nitro, cui flores sambuci infusi erant, affatim bibendum, diætamque tenuem admodum, convenientem, parti dolenti continuo applicabantur fomenta ex infuso sambuci.

Tertio jam die silebat febris, remittebat doloris acuties; tumore interim cum immobilitate persistente.

Præ-

Praeter jam dictum infusum sambuci pro potu, mixturam ex aqua, & roob samb. cum sale ammon. & oxym. simpl. per vices ad unciam unam sumendam, vaporess aquæ calidæ loco dolente excipiendos ordinabam.

Decrescebat indies malum, ita ut per intervalla patiens ab omni dolore immunis esset; mobilitate jam aliqua articulo rediisse visa; somno insuper jam pacato, siti absente.

Manebat tamen in eodem statu per octiduum, quin plus emendaretur; hinc morbo mihi quidem non amplius acuto viso; ne hic in chronicum forte, & cum degeneratione articuli adolesceret, ad vota patientis, ut dolore tandem vacaret, iterato rogantis, catena humero circumdata, per eandem manum octo concussus applicabam.

Increscabant inde dolores in pristinam intensitatem; unde seposito mox Electro hesternam artem administrabam per plures dies, una cum extracto Aconiti.

Remittebant quidem dolores a ferocia, nunquam tamen omnino absolvabant; tumore & immobilitate ceteroquin afflignantibus.

Tentabam denuo Electrum; jamque mites admodum sex concussus communicabam.

Ferebat hos patiens, doloremque ab operatione multum decrevisse asseverabat.

Hinc altero die octo concussus, sensim duodecim, tandem sedecim audaciiori jam manu experiebatur.

Post secundum tentamen jam sudor per omne corpus, & ad partem præprimis affectam observabatur cum ingenti leni-

lenimine, qui indies horis præfertim matutinis copiosior apparebat; urina quandoque turbida, sedimentosa; dolore & tumore sensim remittentibus, donec decimo quarto die disperarent penitus, expost non redeuntes; mobilitate brachii ex integro restituta.

Post laxans, & aliquam moram, ut in majus virium incrementum resipisceret patiens, tota paulo post sana discessit.

---

C A S U S V.

LUMBAGO RHEUMATICA ELETRO CEDENS.

**M**agdalena W... annorum quadragesinta octo, septem prolium mater, utcunque cæteroquin sana, conqueritur de Lumbagine Rheumatica, malo per integrum biennium jam infstante, vehementiam subin tantum re-

D 5 mit-

mittente; dolore quandoque ad coxas exporrecto, ad femora quandoque pertingente, & in pedes desinente, & tum cum partium affectarum immobilitate; dolore subin cum torpore vices alternante.

Ordinabatur infusum sassafras, in larga copia per aliquot dies haurendum.

Tertio die admoto Electro partes affectae octies concutiebantur, catena pendibus supposita.

Ad primam operationem jam multum decrevisse malum videbatur.

Ad sextam disparuit omnis dolor, ita ut patiens erecto jam corpore incedere, & firmo pede pergere posset.

Præter sudorem de mane plerumque, profusorem, & urinam liberaliorem, aliquoties flocculentam, observare insueti nihil erat.

Patiens

Patiens exinde post laxans Rhabarbarinum ex integro restituta discessit.

---

C A S U S VI.

RHEUMATISMUS CHRONICUS  
CUM TOPHIS AD GENUA, ET  
MENSIMUM SUPPRESSIONE  
ELECTRO CURATUS.

**B**arbara de H.. annorum octodecim,  
virgo, præter emansionem mensium ab anno dimidiato, conqueritur de doloribus rheumaticis vagis per biennium jam, & graviter lacescentibus, in dolorem fixum tandem, cum immobilitate utriusque genu terminatis, tophis utrinque obsessi, tota insuper cachectica, cum respiratione difficiili, tussi frequenti, siccata, palpitatione cordis ad motum corporis insolitum, & quodcumque animi pathema, subito apparente, anorexia,

pon-

pondere ab assumptis, pulsū exili, frequenti, urina cruda aquosa, debilitate ingenti, convulsionibus hystericis persæpe redeuntibus, somno ab aliquo tempore plerumque interrupto, persæpe nullo.

Post laxans rhababarinum, cachexiæ mucosæ præ cæteris medendum esse ratuſ, habitum corporis uſu Martis cum amaris, interposita leni a principio, ſenſim adaucta frictione corporis, emendare & instaurare quantocyuſ allaborabam; analepticam diætam ubique ordinando.

Neque pœnituit coepti; post menſem enim jam pridem redierat appetitus, cum magno jam virium incremento, & aliqua corporis torositate, respiratione per de- & acclivia faciliore, ſine cordis palpitatione, pulſu pleniore, ſomno plerumque per plures horas bono, reſiciente; genubus tamen antiquo dolori mancipatis, tuberosis, rigidis.

Huic

Huic & malo commode obviari posse existimabam, si præter saponem venetum, in aqua calcis solutum, intus & ipsam aquam calcis una cum extracto Aconiti & largo decocti Bardanæ potu cum laete partitis vicibus exhiberem: ex quorum & usu per tres septimanas protracto; urina singulis diebus largiore, cum filis mucosis, sudore vix non omni mane profuso, & dolor decrescere videbatur.

Ast subito oriebatur anxietas, cum tussi molestissima; quam excipiebat sputum tenax, mucosum, per octo dies succedens, missa pristina arte, oxymell. squillit. cum extracto Myrrhæ, & decoct. polyg. amaræ promotum, tandem cefans.

Repetebam ex post usum Aconiti, cum aqua calcis vivæ, & intus & extus usurpanda.

Ast

Ast quarto die ingruebant convulsiones hystericae, ad usum olei animalis Dipp. & infusum chamomillæ haud ægre cedentes; cum ingenti tamen debilitate.

Post aliquot dierum moram, ut resipisceret misera, usum nuperæ artis reservocabam.

Quinto die novum arti negotium facesset sœva ophthalmia, quam & altero die sequebatur parotis dolens admodum, cum febre, siti, capitis dolore &c.

Ut oculis consulerem, præter clysteres, laxantia eccoprotica eousque porrificabam, donec diarrhæa sequeretur per septem dies durans; oculis insuper collyrium ex aqua Rosarum cum flor. zinci guttatim quater de die instillando; nuchæ vericatorium admovendo, parotidi post vaporem calidæ, cataplasma emol-

emolliens continuo applicando, curam denique ubique antiphlogisticam, cum copiosissimo potu decocti hordei cum oxymelle simpl. administrando.

Ad diarrhæam, urinam per plures dies sedimentosam, lateritiam, sudorem denique ultimis diebus largum, universalem, cedebant, & disparebant tandem anomala hæc mala; non citra ingens ramen virium dispendium.

Urgebat jam indicatio vitalis, cui usu aquarum selteranarum cum lacte horis matutinis, juribus carnium, una cum decocto hordei cum lacte per diem, & reliqua cura analeptica ex æquo satisfaciebam, hoc cum eventu, ut patiens post quatuordecim dierum spatium emendata & viribus refecta videretur; doloribus tamen cum tumore utrumque genu, uti continuo hucusque, ita & adhuc, & gravius quidem afflignantibus.

Ut

Ut denique & huic malo, pertinaci plerumque, imo & Herculeæ arti non raro illudenti mederer, mox tophis fomentum ex sale alcalino caustico cum calce vi-va parato, in centuplo aquæ fontanæ soluto, continuo applicandum jubebam; imo audaci consilio, manu tamen provida, ipsissimum lixivium, innocuum certe redditum, intus porrigebam, diætam insuper eupeptam, laetem plerumque ordinabam; insimul denique ad Elec-trum accedebam, & utriusque genu, catena pedibus submissa, octo a principio, sensim viginti succussus applicabam, huic-que methodo per quatuordecim dies insistebam.

Tertio die ingravescebant jam do-lores lumborum, de nocte præprimis exacerbati, quos excipiebat ingens urinæ profluviu[m], ast jam sine floccis mu-cosis innatantibus; id quod solventi li-

xivio

xivio deberi, serio meditatus, pro certo  
habebam.

Pergebat hæc urinæ excretio, sed  
paulo moderatior indies, sudore insu-  
per post somnum præcipue profusissimo,  
fætido; donec decimo quinto die post  
convulsiones hystericas erumperent men-  
ses, liceat mihi albos vocare, lactanti-  
bus non infrequentes, & statam subin  
periodum servantes, qui per triduum  
fluebant, dolore genuum una cum tu-  
more jam multum imminuto.

Intermittebam interea una cum Ele-  
ctro reliquam artem, viribus aliquam-  
diu, subministrata per diætam analепsi,  
consulendo.

Accedebam ex post denuo ad Ele-  
ctrum, viginti, quot diebus, concussus  
communicando; & loco lixivii, quod  
patiens quam maxime detestabatur, Ex-  
tractum Aconiti ad granum semis per

E diem

diem substituebam, una cum largo decocto rad. Bardanæ cum lacte, hancque artem per mensis spatum porro administrabam.

Præter sudores jam vix non continuos, & cum euphoria quidem, urina & copiosa indies excernebatur, floccis albis, mucosis opacissima, superficiem matulæ continuo dense incrustans: disparebat sensim, & tandem ex integro dolor, disparebant una simul tophi, redibatque articulis pristina mobilitas, ita ut recta incedere sine aliena ope jam patientis posset, bene cæteroquin appetens, sed nonnihil cacheœtica.

Post aliquot dies oriebatur denuo tussis cum sputo tenaci, mucoso, copiosissimo, per sex dies durans, ad decoct. rad. polyg. amaræ & oxym. squill. denique cessans.

Post usum Martis cum debita diæta,  
vinosa

vinosa jam , tertia septimana redierunt  
menses albi, rubris mox excepti per sex  
dies fluentibus.

Discessit tandem bene sana, brevi  
post maritata , jam mater.

---

C A S U S VII.

DOLORES RHEUMATICI CUM  
IMMOBILITATE GENUUM AD  
ELECTRUM DISPARENTES.

A ntonius B . . tredecim annorum ,  
prehenditur hoc anno post frigus  
incaute admissum , Rheumatismo acuto,  
præter varios articulos , humeros præ-  
primis & genua acriter infestante.

Oppugnabatur hoc malum præter dia-  
tam convenientem , cura antiphlogistica  
a principio ; partibus afflictis fomenta ex  
sambuci infuso applicabantur continuo ;  
alvus præterea clystere refrigerante,

ex sero lactis, nitro & oxymelle, aperta  
servabatur.

Silebant ad hæc post quatuordecim dies dolores, patiensque morbo defunctus esse videbatur; ast sine manifesta causa; qui quidem morbi genius est, altero die redibat pristinum malum, jamque hanc, jam illam partem obsidens, hancque scenam ludere pergebat; donec ad sextam septimanam absolvisse videretur, sudore foetido per plures dies continuato, urinaque sedimentosa, febre cessante.

Interim, cum patiens per omnem morbi decursum immoto fere corpore, ut doloris sensum effugeret, continuo dorso incubuisse, pedibus retractis, genibus sursum prominentibus, situs mutationem et si quotidie a me monitus; utrumque genu jam immobile & rigidum observabatur, utroque pede retractor; ad minimum insuper motus tenta-

men

men acerbe dolebant hæ partes affectæ, dolore rheumatico per vices & ex post hoc detonante, cum insigni totius corporis, femorum præprimis & pedum marcore sine febre.

Ut siti, siccitati, marcori, vitæ viribus consulerem, diætam laetam ordinabam, vaporesque calidæ rigentibus partibus quater per diem & diu excipiebamus.

Corpo sufficienter instaurato, tres præterea doses pulv. Aconiti indies porrigebam, cum larga quo vicibus decocti Bardanæ lacte temixti quantitate mox superbibenda; diætam jam ex jūribus carnium, cum carnibus elixis molibus &c. concedendo.

Tandem & Electro utrumque genu sexies leniter concutiebam.

Oriebantur mox post primam hanc operationem enormes dolores ad partes

E 3 affe-

affectas; unde differre ejus usum ad aliquot dies consultum ducebam.

Revocabam Electrum, & a principio quater, decies sensim, tandem vigesies genua, indies a principio, alternis denique diebus concutiebam, catena ubique pedibus subjecta.

Disparebant sensim dolores antiqui rheumatici, suborto indies sudore prolixo fetido, urina alba mucosa liberaliter secedente; redibat & sensim vestigium motus in genibus, & jam primis septimanis, commode insisti pedibus posterat, tandem ad finem septimæ hebdomadæ accessit articulis mobilitas; ut patiens jam libere incedere, extendere jam & flectere pedes pro lubitu posset, remanente quadam tamen debilitate, & femorum, pedumque nonnullo marcore.

Cum interea decurrente morbo urgenter symptomata ex vermibus oriunda,

da, seposito jam tertia septimana Aconito, remedia anthelmintica exhibebam; ex quorum usu cum plures lumbrici rotundi ano secessissent, natam post tot ærumnas cachexiam emendare ope Tincturæ Martis vinosæ hucusque studebam; cuius usui in diem hodiernum insistitur, continuatur & usque huc aliquoties per septimanam, præter frictiones siccas, Eleætrum, ut pristinus vigor & torositas rediret, quod & tuto sperare licet: cum jam patiens non firmo talo insistere tantum, sed & vegetiore indies pede pergere didicerit, de cætero nonnihil ca-  
checticus.



## C A S U S VIII.

DOLOR RHEUMATICUS E CERVIC-  
E IN BRACHII ARTICULUM DE-  
SINENS AD ELECTRUM  
DISPARENS.

Catharina D... quadraginta octo  
annorum, cælebs, doloribus capitis  
olim diu & frequenter obnoxia, appe-  
tente Vere & Autumno plerumque recrui-  
descentibus, exacerbatis; jam a bimestri  
præter capitis tremorem, cervicis dolore  
continuo graviter affecta, plerumque in  
humeri sinistri, non raro & brachii una si-  
mul articulos, cum inducta mox horum  
immobilitate defluente: dolore capitis an-  
tiquo subin & monente, cum aurium su-  
furrū.

Post venæsectiones, purgantia, in-  
unctiones, vesicatoria gratis administra-  
ta, de virtute Electri aliunde edocta,  
Anno 1773. nostram opem implorat.

Cum

Cum abesset febris, nullumque aliud symptoma obstaret, mox illam Electro admovebam, catena manu sinistra prehensa, cervici dolenti sex concussus admodum leves applicabam.

Disparebat mox tremor, ita ut illius vix vestigium superesset, disparebant dolores illico & ad cervicem & brachium, ita ut hoc jam commode moveri, & supinari jam posset.

Dabam exposit extractum Aconiti, quod de mane & ante cubitum sumeret, infusum sambuci superbibendo; ut a frigore insimul & frequentatione aeris nebulosi sibi caveret, serio hortatus.

Redibat tertio die, pristinosque dolores jam reduces, sed oppositam partem, infestantes, e cervice namque in humerum dextrum exporrectos, accusans, tristis & anxia.

Concutiebam & has partes sexies, disparentibus subito doloribus, cum aliqua pulsus celeritate.

Discessit sana, & usque huc non rediit.

### C A S U S IX. MOBILITAS GENU SINISTRO ADMOTO ELECTRO REDIT.

**A**nno 1772. cum Vitihöchemii, omniAula tum temporis, ibi veris amicitati indulgente, & ego morarer Archiatri munere fungens, illo ipso tempore, cum quidam nobiles Aulici sua me præsentia dignarentur, phænomena Electrica spectaturi, adducit mater rustica filium tredecim annorum, Wilhelmum S.. nomine, inter continuos ejulatus pessime claudicantem, genu sinistro rigido, sum-

mo

mo pede retracto, digitis pedum insi-  
stentem, incedentem.

In causam mali inquirenti reponit  
mater, se nescire: puerum afferit, post  
febrem scarlatinam anno superiore, sep-  
timo die cedentem, variis & vagis do-  
loribus, humeros & genua præprimis  
infestantibus hucusque obnoxium fuisse;  
pondere aliquando onustum, genu  
saxo impiegisse, & ante sex septimanas,  
postquam pridie nudis pedibus per  
pagum errasset, & pluvia bene madi-  
dus domum rediisset, altero mane hoc  
malo subito prehensum esse, indies in-  
crescente.

In Præsentia Dominorum Aulico-  
rum catena concutiente digitis pedis af-  
fecti circumvoluta, genu affecto octo  
succussus & validos quidem applicabam.

Ad quemlibet iustum electricum sub-  
filiebat imus pes convulsus.

Ad

Ad primum hoc tentamen jam insignis in articulo motus observabatur, & patiens jam pede plus extenso incedere poterat, ingratum in partibus concussis formicationis dolorem accusans.

Mirabantur adstantes subitam hanc mutationem, præmiatum puerum cras redire jubentes.

Rediit, & post secundum tentamen, & succussus jam decem, oborta denuo ex singulo iectu pedis convulsione cito cessante, restitutam articulo pristinam mobilitatem, & rectum jam alacremque pueri incessum omnes gaudebamus.

Totus exinde restitutus puer in diem hodiernum, uti mater ante aliquot dies mihi retulit, optime valet.



bA

C A-

CASUS X.  
RHEUMATISMUS ARTICULUM  
HUMERI LACESSENS, ELE-  
CTRO SOLUTUS.

Georgius F... annorum sexaginta sex,  
doloribus rheumaticis vagis, acutis,  
misere hucusque & per integras sex  
septimanas vexatus, malo ab octo die-  
bus humerum dextrum occupante, ibi  
fixato, articulum præ vehementia do-  
loris immobilem reddente, sine febre  
jam, sed non ideo minus acriter tor-  
quente.

Nostram in auxilium manum invo-  
cat, atque ut prompte succurrerem, di-  
urnoque stipendio parem redderem, nu-  
merosæ prolis patrem, impense, & ocu-  
lo illachrymante rogat.

Catena concutiente dextræ manui  
circumdata, per sinistram decem succus-  
sus applicabam.

Sen-

Sentiebat mox patiens ingens leni-  
men, jamque elevare brachium sine  
multo dolore poterat.

Altero die eodem tenore viginti  
concussus communicabam; & jam dispa-  
ruisse omnis doloris sensus, humero-  
que integra accessisse mobilitas videba-  
tur.

Ast quarto die redibat patiens, ali-  
quam nuperi mali recrudescientiam do-  
lens.

Concutiebatur denuo vigesies; mox-  
que omnis dolor evanescebat, sensu for-  
micationis aliquamdiu ab operatione in  
brachio præprimis sinistro persistente.

Discessit sanus, monitus tamen, ut  
calente præprimis corpore a frigore sibi  
caveret, de mane insuper & ante cubi-  
tum dosin pulv. Aconiti aliquamdiu su-  
meret, decoctumque rad. Bardanæ su-  
perbiberet.

C A-

C A S U S XI.

TOPHI MANUUM ELECTRO  
SOLUTI.

Elisabetha M... quinquaginta duo-  
rum annorum, cælebs, a septem  
jam annis doloribus rheumaticis male  
mulctata, ab ultimo anno perpetuo le-  
eto affixa, ambabus quippe manibus ad  
digitorum articulos nodis obsitis, ita ut nec  
fleati, nec extendi possint, obrigescenti-  
bus; utroque genu anchylosi affecto,  
toto corpore viribus exhausto, admissa  
ad præbendam, mihi, ut artem prævie-  
tentarem, Anno 1773. committitur.

Præter diætam eupeptam, analepti-  
cam ex juribus carnium, carnibus elixis,  
oleribus mollibus, appetitu quippe vi-  
gente, ordinabam infusum sassafras cum  
laetè affatim indies hauriendum.

Viri-

Viribus inde nonnihil resarcitis, curam ab Electro ordiebar: catena brachio circumdata unum ex alio nodum Electricitati positivæ admoveri jubebam, sicque alternatim utramque manum periculo subjiciebam, leves a principio succussus, & jam nonnisi sex, tandem decem & fortiores, ad tertium denique mensem triginta indies applicando: & tum demum ab operatione abstinebam, quando ad solenniores temporum vicissitudines, de Autumno præcipue, ut & ad quasdam subitas cœli mutationes, tempestate præprimis uda, dolores ferociebant, doloris, qui ejusmodi valetudinarias continuo affligere solet, morbo scilicet in substantiam verso, ut HELMONTIUS ait, nulla ratione habita.

Aquam calcis præterea ex ostreis calcinatis paratam, indies ad libram unam  
cum

cum lacte; majorem dosin naufeabat pa-tiens, intus propinabam.

Extractum insuper Aconiti indies ad granum semis cum bona quantitate vel infusi sassafras, vel decocti Bardanæ cum lacte superbibenda, partitis vicibus ordinabam.

Partibus obsessis fomenta ex aqua calcis cum sapone veneto, tandem ex so-lutione salis caustici probe diluti indies applicanda jubebam.

Genuum rigorem post vaporem ca-lidæ, usu linimenti ex sapone veneto & spiritu salis ammoniaci confecti subin & olei animalis Dipp emendare conabar, Elecetro his per septimanam aliquoties tantum applicato.

Alvum ad plures dies quandoque sti-patam, qui quidem aquæ calcis effectus esse solet, pilulis ex sapone veneto citra jaeturam virium moyebam.

F

Hac

Hac arte per integras sex hebdomadas, posito, urgente dolore, subin aliquot dierum intervallo, protracta, mire profecit patiens; urina enim continuo liberalius missa, non adeo flocculenta quidem, transpiratione horis præprimis matutinis auctiore, & ad ipsas jam manus apparente, digiti antea rigidi, contracti mollescebant, flexiores jam, ipsique nodi mole multum decreverant, cum optimis cæteroquin ægrotantis rebus, genibus vero ubique rigidis.

Intermissò aliquamdiu usu aquæ calcis, & extracti Aconiti, ut, quid præstaret Electrum solum, uberius experirer, præter diætam convenientem, jam decoctum hordei cum lacte pro potu ordinando.

Per tres itaque septimanas singulis, aut certe alternis diebus, vigesies a principio, tandem trigesies manus obsefatas  
con-

concutiebam, tophum unum ex altero positivæ admovendo.

Præter sudores matutinos copiosos universales, nihil debilitantes, secunda jam septimana observabatur sudor in volis manuum largus, continuus, fœtidus, glutinoso - oleaginosus; urina præterea prodibat indies copiosa, floccis mucosis refertissima, ad matulam calcem depo-nens; digitis insuper rediit flexilitas ma-jor; ut citra doloris sensum ex- & com-plicari jam plus possent, nodis quibus-dam jam ex integro disparentibus, reli-quis mole multum minutis, genubus vero ubique immobilibus.

Gavisus de pulchro hoc, & certe non quotidiano eventu, Eleætrum jam aliquoties tantum per septimanam ma-nibus applicandum jubebam; pristinum-que, ut reliquias morbi dissiparem, & somitem forte tollerem, usum Aconiti, ut

& aquæ calcis sed moderatum admodum revocabam; subinde & per plures dies intermittebam, urina tamen indies adhuc larga, sudore & quotidie liberali fetido, præprimis in volis manuum, hocque glutinoso, succendentibus.

Atque hac methodo quarto jam mense disparuerunt nodi omnes, exstantibus illorum adhuc, qui indices obserderant, exuvias, iisque nonnisi mollibus, adeo ut manus jam, acsi nunquam obrigissent, molles, flexiles, torosæ satis, extendi, complicari commodissime sine omni dolore possint, superstite tamen adhuc debilitate quadam, ut prehensa diu teneri non possint, nec pondus facile attolli; quod frictionibus siccis, & Electro subin adhuc applicando, diaeta que analeptica impetrare forte potero. Cœlo interim mutante, aliquæ pristini  
quasi

quasi doloris reliquiæ in manibus sentiuntur.

Genua tamen usque huc ad omnem artem in- & externam rigida manent; quanquam patiens satis agilis propriis vi- tribus e lecto surgere, & scipione fustenata gressus facere didicerit, bene cætero- quin appetens & sana: cum olim per in- tegrum annum & ultra lecto continuo affixa, sine membrorum usu, ut vel situm mutaret, aut se erigeret, aliena ope indiguerit.

Moratur adhuc in noscomio, pia, mentisque pacatæ; manebitque porro; ut, an ulla arte emendari genua possint, experiri liceat.

Hanc ipsam Eleætri virtutem con- firmat casus, quem in viro triginta sex annorum observavi. Quem, cum digito- rum articulos offerret, nodis grandiori-

F 3 bus

bus obfessos, experiundi gratia in hospitale recepi, ab arte utur derelictum.

Torrente Electrico, citra aliam artem, in nodos indies derivato, ad finem secundi mensis mole decreverant tubera, ut spem integræ solutionis non dubiam facerent. Ast patiens febre maligna tum temporis epidemica prehensus, acida omnia repudians, septimo die fato cefit.

---

### C A S U S XII.

#### RHEUMATISMUS SPINAM DORSI OCCUPANS, ELECTRO DIS- SIPATUS.

**C**lara R... sexaginta quatuor annorum, numerosæ prolis mater, de cætero sana, a notabili jam tempore, & ut ipsa ait, sine manifesta causa, forsitan tamen, cum antrorsum inflexo corpori

re

re labores suos plerumque perageret,  
ex frigore humido; calefacta spina dorsi,  
subito admisso, doloribus rheumaticis  
spinam dorsi occupantibus misere quassa,  
ut corpore antrorsum flexo incedere  
cogeretur; post variam artem incassum  
tentatam Anno 1773. inter lacrymas au-  
xilium, aut lenimen saltem mali rogat,  
febris tamen expers.

Jubebam mox, ut aliquis ex tyro-  
nibus practicis, hac re instructus illam  
machinæ admoveret; atque octies spi-  
nam dorsi concuteret. Quo factò patiens  
præter insignem doloris remissionem  
erectiore mox corpore incessit, & læta  
descensit, hucusque autem non rediit.



## C A S U S XIII.

DOLOR RHEUMATICUS BRACHII  
ARTICULUM TORQUENS ELE-  
CTRO SUBITO SUBLATUS.

Michael S... quinquaginta duorum  
annorum, temperiei atrabilariæ,  
ex incognita sibi causa, prehenditur do-  
lore subito articulum brachii dextri ob-  
fidente, sine tumore, rubore, febre,  
irrita omni arte per quinque septimanas  
atrociter affligente, ita ut movere bra-  
chium neutquam, multo minus se vesti-  
bus induere posset, cæteroquin bene  
sanus.

Sistit se ipsissimo die, quo hæc scri-  
bo, enixe opem rogans. Catena bra-  
chio affecto circumdata, per ipsam ma-  
num dextram decem succussus applica-  
bantur.

Mox

Mox ab operatione sine notabili excretione, aut corporis mutatione cessit omnis dolor; rediit integra mobilitas articulo; ita ut post varias gyrationes, supinationes, pronationes, quos motus cum mira agilitate expediebat, patiens prehensam hirtam clamydem, in inconditum præ gaudio clamorem solutus, sibimet indueret, nobisque omnibus risum moveret; sicque volante pede discederet. Ipsissimum casum pridie in piscatore observare erat.

Prostant adhuc numerosissimi casus, in Collegio Clinico observati, & collecti, qui insignem Electri in profligandis doloribus rheumaticis chronicis efficaciam probarent; cum vero omnes ad unum ex dictis, præprimis si curam spectes, referri possint; illos intactos hic loci relinquendos censui.

## CAPUT XIII.

ELECTRI VIRTUS  
IN PARALYSE.

## CASUS I.

PARALYSIS PEDUM ELECTRO  
SOLUTA.

R<sup>e</sup>gina E... ancilla rustica, annorum triginta unius, prævie sana, toros<sup>a</sup>, rite menstruata, cum Autumnali tempore nudis pedibus per prata incederet; sine dolore capitis, sine vertigine præviis, subito concidit, cum pedum & insensibilitate & immobilitate; quam mox & excipiebat involuntaria urinæ excretio per quinque dies durans, expost sponte cedens.

Domum delata, sine omni arte, lesto affixa, suoque fato in quartam septi-

ma-

manam relicta, nostram tandem exposcit opem.

Præter frictiones partium affectarum siccas, urticationes pulv. Aconiti doses indies tres absumendæ, cum fl. sambuci & sassafras infuso mox superbibendo, ordinabantur.

Ex horum usu per tres septimanas protracto, sudore inde quot mane universali, largo, rediit tandem partibus affectis aliquis, sed obscurus admodum sensus, digitisque pedum levis motus.

Admissa tandem Anno 1773. ad nosocomium, præter liquorem cornu cervi succinatum a principio ad triginta, sensim ad quadraginta, ad quinquaginta denique guttas cum infuso fl. Arnicæ, bis de die sumptum, Electrum, experiri cœpit.

Catena pedibus supposita jam per hanc, jam alteram manum octo a principio

cipio, duodecim tandem succussus applicabantur.

Post primum tentamen sentiebat in partibus affectis sensum formicationis, cum tremore sed non diu durante, pulsu insuper, naturali alias, ab operatione increasingente.

Continuabatur præter liquorem cornu cervi, frictiones siccas &c. Electrum per integrum mensem.

Prima septimana horis matutinis erumpet sudor largus, universalis fœtidus; partes affectæ cœperunt dolere, cum aliquo motu jam non obscuro.

Secunda septimana jam pedes in lecto movere poterat patiens, absente dolore.

Ad tertiam septimanam jam insistere pedibus, & scipione adjuta jam progressi poterat.

Quarta septimana firmo pede incessit, erecta, & jam tota sana, obortu hu-  
cuf-

cusque indies de mane sudore prolixo, fœtido, qui post solutum quinta septima-  
na tributum lunare cessit.

Semoto Electro, cum reliqua arte, servabam industriam ancillam in nosoco-  
mio; ut ab injuriis aeris, & rusticis, qui eam exspectabant, laboribus aliquamdiu  
abesset.

Post quatuordecim dies, sanissima  
hucusque, conqueritur de vertigine,  
tinnitu aurium, dolore capitis pulsato-  
rio, cum signis plethoræ motæ: quæ  
vero symptomata ad venæfæctionem cito  
disparebant. Discessit paulo post peni-  
tus restituta.

---

### C A S U S II.

#### PARALYSIS EX APOPLEXIA ELE- CTRO EMENDATUS.

Gusanna F... lotrix, quadraginta quin-  
que annorum, nonnihil cacheœtica su-  
bito

bito inter lavandum concidit apoplectica,  
malo cito desinente in Hemiplexiam.

Altero die defertur in nosocomium.  
Totum latus dextrum a capite ad cal-  
cem pedis usque sideratum erat, & pa-  
ralyticum, sensu & motu omni destitu-  
tum, pulsus durus & rarus, respiratio  
profunda rara, caput calens, tumens,  
rubens, cum somno profundo, perpe-  
tuo, abolitione sensuum licet non per-  
fecta, abdomine tumente, urina inscie-  
missa, &c.

Ad minuendam molem movendo-  
rum, atque ut remedia stimulantia &c.  
tutius expost administrari possent; ve-  
næsectionem instituebam; clysterem mox  
fortiter revellentem applicandum jube-  
bam. Ex quo sequebatur aliquoties al-  
vus pultacea; vesicatoria insuper nuchæ  
& suris admovebantur.

ord

Cum

Cum medicamenta ori immissa non deglutita, fœdo spectaculo ex ore mox prolaberentur, resolutis musculis genarum & labiorum; præter clysteres terde die reiteratos nihil tentabam; a frictionibus & hoc die abstinendum ducebam: ne gravato jam satis capite impletum humorum eo versus augerem; sive que plus nocerem, revulsioni tantum insistendum ducens.

Altero jam die patiens nonnihil ad se rediisse videbatur, facie jam non adeo calente, in latere non paralytico utrū tensa, angulo labiorum sursum tracto; balbutire enim subin incipiebat, oblataque licet ægre admodum & in pauca quantitate deglutire, partibus affectis jam plus calentibus, pulsque in his pleniore.

Hinc mixtutam ex aqua Roris mari-  
ni cum sale volat. cornu cervi aceto sa-

tura-

turato, infusumque Arnicæ fl. per vices ingerendum, partes affectas post frictiones siccas spiritu salis ammon. cum aqua Rosmarini remixto inungendas, de manæ & vesperi clysterem applicandum, vires juribus carnium reficiendas ordinabam.

His per septimanam in usum vocatis, functiones mentis jam emendatores videbantur; quin tamen aut motus, aut sensus vestigium in partibus paralyticis observare esset, deglutitione sola indies multum proficiente.

Tentandam jam ambram statuens, bis de die grana decern a principio porrigebam, sensim ad quindecim ascendendo, infusumque Arnicæ sensim superbibendum, artubusque paralyticis præter frictiones continuandas, urticationes indies applicandas jubebam.

Cum

Cum vero ex horum usu patiens non plus proficeret; ego interim per febrem supervenientem magnam, & tremorem partis affectæ convulsivum tolli non raro paralysin experiendo didicissem: ut naturam imitarer, & tremorem saltem convulsivum inducerem; Electrum concutiens, intacto tamen capite, artibus paralyticis applicare audebam.

Cessit e voto tentamen; catena enim digitis pedis siderati circumdata, sicque per manum affectam, ope fili ex auri-chalco, octo succussibus inflicitis, jam tremor pedis subsiliens ad momenta quædam, motusque novus, involuntarius tamen, in digitis pedum observabatur, post Electrum tamen cito desinens: partes insuper affectæ post operationem plus incalescabant; pulsusque increscere videbatur.

G

Præ-

Præter urticationes, liquorem cornu cervi, cum infuso fl. Arnicæ, altero die nova suscipiebatur operatio; hæcque per integrum mensem ab octo ad duodecim tandem succussus continuabatur.

Tertio jam die in partibus affectis dolor, quem patiens facie, & certo quodam ejulatu prodebat, ad singulos iectus observabatur; pulsus insuper ad carpum brachii affecti erectior, plenior, quam in sana parte apparebat; ubique præterea tremor convulsivus in pede ab operatione animadvertebatur.

Octavo die tumor in partibus paralyticis & laxitas multum remiserant, cum apparente de mane plerumque sudore calido, universali.

Decimo quarto die præter sudorem hucusque largiorem, calorem in affectis partibus majorem, pulsusque pleniorum jam voluntarius in digitis manuum pendum-

dumque motus observabatur; patiensque jam multum rediisse ad se videbatur; ad interrogata enim per signa respondebat, sed mox illachrymans. Imo quædam vocabula perceptibiliter satis pronun- ciabat.

Ad tertiam septimanam jam attolle-re brachium, pedes plus movere, ad se trahere poterat.

Ad finem quartæ septimanæ sola eri-gere se in lecto, & post iteratos conatus surgere potis erat; imo proprio consilio scipione nixa, aliena insuper manu su-stentata, gressus tentabat; sicque indies conclave obambulare pergebat, claudi-cando semper, semper baculo innixa, motum tamen & sensum nacta, diffi-cultate linguæ, malo immedicabili, ita ut nonnisi balbutiendo & quædam tantum vocabula proferre possit, in diem ho-diernum laborans. Admissa exposit ad

G 2

præ-

ba

præbendam, & usque huc claudicare,  
incedere tamen, balbutire, ad interroga-  
ta tamen aptissime, & per signa ad mi-  
nimum respondere pergit, de cætero sana.

---

## C A S U S III.

PARALYSIS EX COLICA PICTO-  
NUM ELECTRO CURATA.

Sophia E... annorum viginti duo-  
rum, virgo compta, pia, prævie  
bene sana, incidit post esum olerum, uti  
creditur, in vase cupreo, stanno non ob-  
ducto, coctorum, una cum patre &  
fratre in atrocissimos dolores imi ventris,  
cum anxietate inexplicabili, mox vomi-  
tu, diarrhæa expost frequentissima, do-  
lore capitis, febre, siti ingenti, prostra-  
tione virium summa. Luctatur cum his  
angustiis cum fratre per integras tres  
hebdomadas, ferociam tamen interea

ad

ad tempus remittentibus: donec cessante omni dolore brachia & pedes Paralysis occuparet, patre jam tertio die atrocia mali extincto. Paralyssi accedunt horrores indies vagi, cum febricula continua, indies depascente; paulo post universum corpus scæda scabies incrustat.

Misella his malis per integros tres menses vix non confecta, tandem Anno 1769. in nosocomium transportatur, tota emaciata, & scabie scæda, cum pulsu exili, frequente admodum, febricula hectica, ad vesperam exacerbari solita, appetitu dejecto, siti magna, urina parca, stranguriosa, alvo in quartum diem clausa, artubus eousque paralyticis, ut ne digito quidem manus vel pedis levissimus motus supereffet, superstite tamen sensu, et si satis obscuro.

Ut molestæ scabiei mederer, simulque vitæ viribus consulerem, febrem-

que abigerein depascentem, præter hordei decoctum cum laetæ assatim bibendum, corticem Peruvianum cum floribus sulphuris, una cum diæta laetæa, ordinabam.

His per septimanas quinque usurpatis, disparebat scabies, cum torositatis incremento, febricula jam multum iniminita, appetitu insuper vigente, cessa denique, ut ad voluntatem digitos erigerent, artubus facultate.

Præter corticem cum diæta laetæa, & Eleætrum convocabam; catenaque pendibus supposita, jam per hanc, jam alteram manum, ope fili ex aurichalco, a principio sex, sensim decem, quindecim tandem indies, aut alternis subinde diebus, iætus infligebantur; huicque tentamen per menses duos insistebatur, intermissa, cum menses fluerent, operatione.

Ele-

Electrum primis diebus validis doloribus excipiebatur, in formicationis sensum tandem desinentibus.

Tertia septimana rediit fluxus menstruus ab anno dimidiato retardatus.

Quinta septimana redire jam cœpit læsa torositas, febricula vix non sopita, motu insuper extremis jam redeunte.

Sexta septimana jam optima patiens experiri vires tentat; erigere se propriis viribus allaborat, febre immunis.

Septima Hebdomada alienis tamen viribus adjuta gressus tentat, perficit.

Ad finem secundi mensis denique subaxillari fulcro nixa incedere gestit.

Seposito Electro, seposita & omni arte, rem temporis coryphæo, & naturæ dedi; diætam & insuper eupeptam, analepticam, ex carnium jusculis, ovis sorbilibus, carnibus albis teneris &c. cui ab aliquot jam septimanis assueverat,

jam largiorem, ut appetitui indulgerem, jam & vinosam concessi.

Inde torosior indies, tandem abjecto fulcro sola incessit; firmo talo perrexit; sanissima discessit virgo lepore dives, paulo post nupta marito, jam mater.

Frater ejus idem fatum expertus, & præter Paræsi Catalepsî correptus periodica, corticis usu & Electri ope, reconvalescere pergit, brevi e nosocomio discessurus.

---

#### C A S U S IV.

#### ARTUUM PARAESIS OPE ELE- CTRI EMENDATA.

**A**ndreas H... annorum tringinta duorum, texturæ gracilis, prolis unius pater, Paræsi omnes artus occupante,

pante, totus emaciatus Anno 1769. in nosocomium transportatur.

Post examen constitit, morbum ante quatuor jam annos subito & sine manifesta causa invasisse, & post noctem tranquillam, surgentem pridie sanum, cum vertigine, artuumque torpore occupasse, sensim in impotentiam harum partium profectum esse; ut jam brachia ad voluntatis imperium movere, quin inceptus vix motus jam langueret, deficeret, aut pedibus insisterere, quin titubaret, aut progredi, quin fluctuaret, pedemque revocaret, omnino non posset, superstite tamen in partibus sensu, sed obscuro tamen.

De cætero cum cibi appetentia, cæteræ functiones rite procedebant, pulsu tamen exili, cum frigore extremonrum.

Frictiones siccæ, inunctiones aromaticæ, urticationes, balnea, quæ quidem frigida ubique suaseram, oleum animale Dipp, Ambra diu & ad scrupulum unum sumpta, infusum fl. Arnicae &c. una cum diæta analeptica, aut omnino nihil, aut parum certe profuerunt.

Unde præter usum corticis, & diætam laetearum Electro partes affectas, torpidas, excitare statuebam.

Continuabam operationes indies ad sex concussus per integrum mensem; quin malum insigniter decresceret.

Post aliquot septimanarum spatium redibam denuo ad Eleætrum, indies jam decem concussus applicando, huicque tentamini, servato usu corticis cum diæta laetearia, per mensis denuo spatium insistendo: ast præter formicationis sensum a quatuordecim diebus jam, post quam-

quamlibet operationem, & auctiorem nonnihil partium torositatem, plus commodi nihil obtinebamus.

Posito unius hebdomadæ intervallo, ut resipiscere interea misero daretur; subibat hic gaudens nova tentamina.

Hisque ad finem denuo unius, & jam tertii mensis ad quindecim indies concussus adhibitis, rediisse partibus majorem torositatem, majorem insuper motum impense lætabar; patiens enim solus jam conclave obambulare, fallente tamen subin pede, poterat.

Post denique unius septimanæ moram, quartum & ultimum mensem, præter frictiones siccas, operationibus Electricis impendebam. Et ecce: post sudorem indies de mane largum, redibat sensim major partibus torositas; increaserat motus, ita, ut patiens jam liberius incedere posset, superiores & ar-

tus

tus promptius movere, disparente vertigine; paulo post ad suos dimissus, manente tamen semper aliqua partium prius affectarum imbecillitate.

---

## C A S U S V.

## PARAESIS EX DOLORIBUS RHEUMATICIS ELECTRO CURATA.

**A**ndreas B., annorum viginti unius, cælebs, olim doloribus rheumaticis vagis obnoxius, a quadriennio valitudinarius, plerumque lecto affixus, & ab hoc tempore artuum superiorum & inferiorum paræsi, cum imminuta partium affectarum torositate, continuis insuper brachii præprimis sinistri, pendumque doloribus lacinantibusprehensus admittitur Anno 1772. in nosocomium, curru adiectus.

Ma-

Malum ex frigore, corpore æstuante subito incaute admisso contraxerat, quod ingratu per omnes artus formicationis sensu a principio percipiebat, in stuporem manuum & pedum adolescens, tandem in dolores has partes continuo & acriter afflgentes, desinens, cum imminuto sensim motu, ita ut patiens brachium sinistrum vix elevare, pedibus nullatenus, nisi fulcro axillis supposito, & tum ægerrime, non incedere tamen, sed repere tantum possit, vidente tamen appetitu, pulsu utut exili, somno nullo.

Ab Extracto Aconiti, cum largo  
quot vicibus decocti Quajaci cum lacte,  
potu, una cum diæta lactea curam or-  
diebar; huicque arti, citra lenimen ta-  
men mali, per tres septimanas insiste-  
bam.

Liquo-

Liquorem præterea cornucervi succinatum a guttis viginti, ad quinquaginta tandem bis de die, superbibendo infusum fl. Arnicæ, per tres itidem septimanas, ast gratis denuo porrigebam.

Unde Electrum simul adhibebam, catena pedibus subiecta per utramque manum alternatim sex a principio ictus communicando.

In crescebant inde dolores in ferciam, ita ut ad preces patientis recedere ab eo aliquamdiu consultum ducerem, pristinæ tamen arti ubique insistendo.

Post decem dierum moram revocato Electro, sexies indies, sensim octies, decies tandem, partes affectæ concutiebantur; huicque tentamini per integrum mensem, serie non interrupta, insistebatur.

Ad

Ad tertiam jam septimanam obser-  
vabantur sudores de mane fœtidi, infe-  
quentibus diebus redeuntes, cum miti-  
gatione notabili dolorum, motusque  
plus incréscētis indiciis, torositatis aug-  
mento aliquo.

Recedebam aliquantis per ab Electro;  
& jam jura carnium, carnes ipsas, olera  
mollia, quam diætam patiens avidissime  
expetebat, decoctum vero hordei cum  
laete pro potu ordinario concedebam,  
liquoris cornu cervi usui pertinaciter  
insistendo.

Periclitabar denuo per integrum  
mensem probatam cæteroquin Eletri  
virtutem, alternis id jam diebus, ad duo-  
decim tamen succussus applicando.

Præter sudores indies de mane co-  
piosos, urina insuper per diem larga  
mittebatur, & jam flocculenta quidem,  
hoc cum effectu, ut dolores antiqui  
pluri-

plurimum remisissent, ad aeris mutationem subin exacerbati; rediisset jam partibus motus, ut elevari brachium, etsi cum incommodo, pedibus insisti, sine scipione incedi, sed ægre adhuc posse, corpore insuper universo torosiore.

Post aliquem iterato per septimanam a machina recessum, datumque laxans, ut primas vias a crudo indigesto, quod monebat, expurgarem; Electrum tandem curæ colophonem addebat; hujus enim virtute efficiebatur, ut post tria tantum quot septimanis ad viginti succussus tentamina, tertia septimana torosus jam patiens, liberrime incederet; artus superiores pro lubitu moveret, recrudescente tamen ad aeris mutationes nonnullo dolore, superstite & aliqua in partibus prius affectis imbecillitate; ut labori nonnisi duro, non tamen omni impar sit.

Con-

---

Concessi adhuc aliquam in nosocomio moram; ut ex diæta viribus plus proficeret. Contraxit paulo post scabiem ex contagio, qua per artem disparente, tandem & ipse discessit.

---

## C A S U S VI.

PARALYSIS EXTREMORUM POST  
FEBREM PUTRIDAM ELECTRO  
EMENDATA.

Sebastianus H. annorum viginti duorum, extremo, ne aquis suffocatur, periculo expositus, & inde non levi terrore percussus, brevi post febre maligna putrida, corripitur, octavo morbi die in Paralysin omnium artuum terminata, indoctam quippe medentis manum experta.

Empiricus novum hunc morbum, Herculea pro more arte, dictante Ace-

H fia

sia Magistro, balneis scilicet, unguentis, Emplastris ubique antiparalyticis, quidquod ipso pulvere Bezoardico Sennerti, specifico cephalico Michaelis, cautissima manu remixto, imo tandem, & quis ultra? amicissimo nervis specifico antepileptico Marchionum, cum granis quatuor & semis nitri perlati & totidem granis antimonii diaphoretici abluti, sacra dixisses anchora, sistere, & quis proterviae morbi non indignetur? incassum allaborat.

Septimo mense ad nos defertur  
Anno 1773. Artus offert omnes para-  
lyticos ita, ut liquata omni corporis tor-  
tositate, vel minimus tantum manuum  
pedumque digitis motus superesset, su-  
perstite tamen sensu etsi obscuro, facie  
insuper cacheotica flava tristi, cum lin-  
gua onusta, sapore foetido, appetitu-

pro-

prostrato, pulsu debili, celeri, excretionibus omnibus fœtidis, somno nullo.

Priming viis Rheo & cremore Tartari leniter expurgatis, acidis fossilibus, ex post cortice peruviano febris reliquias sopiebam; vinumque præter diætam ex cremore hordei, fructibus horæis &c. aqua succo citri acidulata remixtum concedebam; tandemque ventriculo per Elixir. vitrioli acidum consulebam.

Profligata cessit febris; rediit appetitus; viresque insurgebant, Paralysi tamen nihil emendata.

Corpo ex usu corticis, cum diæta latea per trium septimanarum spatium plus instaurato, præter frictiones siccas, partes sideratas alternis a principio diebus octies Electro concutiebam; siveque per mensem

integrum pergebam, sensim augendo concussum numerum ad duodecim; quin hos conatus insignis aliqua mutatio exciperet, torositate tamen indies crescente, somno restituto.

Seposita pristina arte, liquorem cornu crevi ad gutras triginta a principio, ad quinquaginta tandem indicibus imposterum sumendum, infusumque fl. Arnicae quo vicibus superbendum ordinabam; jura insuper carnium, olera mollia, fructus horæos &c. concedebam; tandemque ad Electrum redibam; quo indies per mensis spatum partes jam fortiter duodecies concutentur.

Præter formicationis sensum, operationes a principio excipientem, secunda jam septimana dolor mox ab Electro in partibus affectis observabatur, aliquamdiu durans; ingruebat insuper  
tertia

tertia septimana sudor de mane fœtidus,  
largus; motusque jam non obscurus,  
cum torositate, artubus redire cœpit.

Continuato in tertium mensem  
Electro, jam ter per septimanam ad vi-  
ginti succussus applicato, una cum li-  
quore cornu crevi & infuso Arnicae,  
prodeunte indies urina cocta, sudore  
de mane copioso fœtido, torositate in-  
signiter aucta, moveri jam manus, &  
pedes poterant. Ad finem tertii men-  
sis erigere se in lecto, vertere se patiens  
pro lubitu potis erat.

Decima quarta septimana propriis  
viribus surgere cœpit, & sustentaculo  
adjutus per conclave obambulare.

Protracto in quintum jam mensem  
Electro bis aut ter quot septimanis ad  
viginti, subin ad triginta ictus, una  
cum liq. c. c. patiens bene sanus, to-  
rosus satis, recuperato artuum superio-

H 3 rum

rum motu, incedit indies fulcro tamen  
adjuvandus, pede quidem celeri, sed  
minus firmo, superstite imbecillitate præ-  
primis ad articulos.

Moratur adhuc in nosocomio, vires-  
que Electri experiri pergit.

Suppeterent quidem castis quam-  
plurimi in diario notati; qui inimitabi-  
lem certe Electri in sananda Paralysi  
virtutem liquido demonstrarent; ne vero  
haec pagellæ in volumen ex crescere-  
rent; dicitis acquiescendum putavi.



CA-

CAPUT IV.

ELECTRI VIRTUS  
IN SPASMO  
ET  
STUPORE.

---

CASUS I.

SPASMUS DEXTRUM PEDEM OC-  
CUPANS ELECTRO SOLUTUS.

**W**ilhelmus S... quinquaginta anno-  
rum, temperiei atrabilariæ, præ-  
vie sanus, ex frigore incaute suscep-  
to, spasmus corripitur, pedem dextrum, ut  
nec huic insisteret, multo minus ince-  
dere posset, per quatriduum occu-  
pante.

Cum neque frictionibus, neque in-  
unctionibus, sudore denique copiosis.

H 4 simo

simo prolecto malum non remitteret: in nosocomium infertur patiens. Parte spasmo contracta Electro sexies concusfa, absolvebat mox rigor; patiensque illico libere incedere noverat, suborto tamen in parte prius affecta sensu formationis & superstite aliqua partis debilitate.

---

## C A S U S II.

## DOLOR CUM SPASMO POST FE-BREM INTERMITTENTEM PE-DEM OCCUPANS ELECTRO CURATUS.

**M**ichael H... triginta duorum anno-  
rum, temperamenti atrabiliorum, post  
febrem tertianam vernalem præmature  
sopitam, incidit in tumorem imi ven-  
tris, & pedum, qui varia arte oppugna-  
tus tandem cessit, relinquens dolorem

ad

ad pedum malleolos, usque ad suras continuo & per quinquennium affligen-  
tem, ad aeris mutationem exacerbari  
solitum, & tum præprimis cum spas-  
modicis pedum contractionibus graviter  
laceffentem.

Post variam artem gratis admini-  
stratam, vehementia doloris jussus, no-  
stram opem implorat.

Catena pedibus supposita, per utram-  
que alternatim manum sex concussum  
applicabantur.

Disparebat mox dolor; hujusque  
loco formicatio in partibus affectis sen-  
tiebatur, per omnem diem & noctem  
durans.

Altero mane erumpebat insolitus  
sudor, largissimus quidem; quem ca-  
lor urens in pedibus excipiebat, cum  
pulsu citatiore, urina ex post turbida.

Tertio die redibant dolores; redibat & patiens.

Applicabantur jam decem succussus admodum validi.

Disparebat & jam mox omnis dolor; sed ingrediebatur febris.

De nocte erumpebat sudor profusissimus, foetidus, cum pervigiliis; quem somnus excipiebat per quatuor horas pacatissimus, urina expost turbida, cum plena euphoria.

Circa vesperam ejusdem diei invadebat dolor capitis cum auditus difficultate; quæ vero incommoda disparebant post horam, sine crisi sensibili, paciente expost dolore vacante, fano.



CA-

C A S U S III.

SPASMUS MAXILLAE ELECTRO  
SOLUTUS.

**C**atharina S ... ancilla, rustica, viginti duorum annorum, malo hysterico olim frequenter obnoxia, ab aliquot annis satis sana, subito sentit spasmo constrictis maxillæ musculis os pertinacissime claudi, urgente hoc malo per plures dies, nullo remedio extus applicato hic proficiente.

Applicatur a Chirurgo speculum oris, ceditque maxilla: ast incidit patientis præ dolore in deliquium animi. Post mensem redit idem spasmus.

Tertio die me accedit. Admovebam eam mox Electro. Catena concutiente uni maxillæ articulo admodum, per alterum scintillas Electricas sex communicabam. Cedebat spas-

mus;

mus; articulisque spatio minuti pri-  
mi sensim tamen mobilitas redierat.

Interrogata, ut nuper, ore per plu-  
res dies clauso, vitam servasset; respon-  
debat, se per interstitium ex evulso den-  
te relictum, panem & alia frustulatim  
linguae communicasse.

Post viginti dies redibat, eodem  
malo affecta, spasmo itidem ad sextum  
concussum remittente.

---

#### C A S U S IV.

#### STUPOR BRACHII ELECTRO SUB- LATUS.

**C**atharina H... annorum quinqua-  
ginta octo conqueritur de stupore  
brachii dextri citra manifestam causam  
sibi oborto, & jam a multo tempore cum  
imminuto admodum tactus sensu, citra  
signa tamen instantis Apoplexiæ, affli-  
gente, de cætero bene sana.

Ad

Ad sex Electri concussus, parti affectæ applicatos, oriebatur in brachio affecto insolitus tremor, non diu durans, cum subsequa mox pristini sensus restitutione. Mirum, quod operationem spuma glutinosa copiosa, oborta tussi, exciperent; patiensque ad frequentem narium emunctionem sollicitaretur; auditusque insimul ab aliquo tempore gravis, in ingens patientis gaudium emendaretur.

---

## C A S U S V.

STUPOR SINISTRI PEDIS AD ELE-  
CTRUM MOX CEDENS.

Georgius A... viginti annorum,  
prævie sanus, cum humida aeris  
constitutione in Ecclesia PP. Prædicat.  
divino officio interesset, prehenditur  
stupo-

stupore pedis sinistri cum abolito tactus sensu.

Transportatur ad ædes meas, Ecclesiæ vicinas. Ad decimum Electricum redibat pedi sensus, citra excretionem aliquam; Patiensque expost libere incessit, domumque rediit, ut a frigore sibi caveret, monitus.

Ante aliquot menses ad sex succus-sus Electricos cessit mox stupor manum satrapæ dextram diu jam occupans. Invaluerat malum, per paroxysmos tamen ingravescens adeo, ut scribentem non raro manum mox sensus fugeret, impotentia subito captam; & e digitis calamus clam elaberetur. Post sextum instantem Electricum disparebat stupor, redeunte potentia; ut manus jam in pugnum validum complicari, sinistræ jam æmula posset, dextramque meam, periculi er-

go

go prehensam, validissime peremeret.  
Discessit gaudens. Ast paulo post per  
literas recrudescentiam aliquam morbi  
accusat D. Patiens. Jussi ut ad Ele-  
ctrum rediret, usque huc exspectatus.

---

## C A S U S VI.

STUPOR CUM TUMORE PEDUM  
ELECTRO DISSIPATUS.

Nicolaus S. quinquaginta quin-  
que annorum rusticus, Poda-  
gra ab aliquot jam annis prehensus, ma-  
lo hucusque bis per annum solenniter  
recurrente, ante sex hebdomadas ulti-  
mo paroxysmo defunctus, & ab hoc  
tempore pedum impotentia cum stu-  
pore, & tumore ad tactum duro, captus,  
adeo, ut pes uterque ad astragalos us-  
que monstrose tumeret, & profunde,  
obscure tamen doleret, motu omni abo-  
lito, admittitur in hospitale anno 1773.

in

in Julio, totus emaciatus, sine febre tamen, appetitu insuper vigente.

Diæta analleptica, ex lacticiniis plerumque per aliquod hebdomadas resesto ordinabatur Extract. Aconiti, cum decocto Bardanæ cum lacte ter de die sumendum. Cujus usum per duas septimanas protractum tandem sudor de mane non ita copiosus tamen, excipiebat, tumore pedum jam nonnihil mollescere viso.

Tandem semel de die pedes osties a principio, vigesies sensim Electro constituebam, operationem per sex hebdomadas continuando.

Post prima tentamina mox ab Electro oriebatur ingens in pedibus tumenibus dolor, brevi cessans.

Post secundam septimanam observabatur indies post somnum plerumque bonum, sudor copiosus fætidus, cum mol-

mollitie tumoris majore, remissione doloris, stupore per vices evanido.

Post quartam septimanam præter sudorem reliqui corporis quot mane largum, urina per diem liberalius missa flocculenta apparere cœperat, sudore jam ab aliquibus diebus ad pedes tumentes copioso, cum decremento notabili tumoris, redeunte nonnullo motu, stupore dissipato.

Post quintam septimanam, sudore fœtido & urina flocculenta indies largis, decreverat multum pedum tumor, sudore jam ad plantas pedum continuo, unguinoso, fœtido, motu pedum indies increscente.

Post sextam septimanam jam pedibus calceos induere poterat patiens, jamque aliquot per conclave gressus facere, nonnihil debilitatus, sudore præprimis ad pedes indies adhuc largo fœtido.

I

Se.

Seponebam Electrum una cum Aconito; & præter diætam analepticam jam vinosam, frictiones siccas ordinabam; frequentemque motum aliorum a principio ope juvandum suadebam.

Proficiebat patiens brevi admodum tempore adeo, ut post aliquot septimanarum spatium dissipato tumore & stupore omni, firmo talo solus incederet, & paulo post totus sanus discederet.



C. A.

## CAPUT V.

ELECTRI VIRTUS  
IN VARIIS MORBIS.

## CASUS L

TUMOR VENTRIS TYMPANITI-  
CUS POST EXCRETAM ENORMEM  
GLUTINIS COPIAM ELECTRO  
DISSIPATUS.

Catharina R.... viginti annorum virgo, nunquam menstruata a decem jam annis saevis convulsionibus tentata, ab ultimis annis malo indies gravissime prehensa, ut cum jam infelix distenderetur & rigida, corpore jam versus anteriora infexo, obrigescente, jam versus posteriora incurvato, pro obsefa ab ignaris, diu haberetur, de cætero tota cacheistica, admittitur post variam

artem gratis administratam Anno 1770.  
in nosocomium.

Pulsus erat exilis inordinatus, respiratio ad minimum motum difficillima cum palpitatione cordis; urgebat insuper continuus dolor capitis cum vertigine, tinnitu aurium, nausea, & conatu vomendi, appetitu prostrato, gravamine ab assumptis, ructibus, borborygmis, alvo inordinata, urina aquosa, instantे paroxysmo copiosa, somno turbulento, debilitate summa, pedum & imi ventris tumore, insipientia.

Convulsiones hystericae redibant vix non indies, incerto tamen tempore; jam enim somno excitatam subito prehendebant; jam de mane, ad vesperam subin ingruebant; easque primis mensibus semper sputum sanguinis præcedebat, & excipiebat, cum ingenti debilitate ita, ut raro lecto exesse misera potue.

potuerit; neque hic, oleum animale,  
Dipp, non cortex, non opium neque  
antihysterica reliqua proficiebant.

Luctatur cum his ærumnis misera  
per sex menses in ludibrium artis. Do-  
nec pertinaci usū Martis jam vino soluti,  
jam in substantia propinati, jam antihy-  
stericis, subinde ipso opio mixti una  
cum frictione corporis, & diæta in-  
staurante, appetitu inde revocato, &  
corpore insigniter emendato, deferve-  
scere tandem inciperet morbus jam  
minus frequens, ad decimum mensem  
rarissime & nonnisi ad validum animi  
pathema recrudescens; ad finem deni-  
que anni post Asthma convulsivum su-  
bito obortum, & cito desinens, erum-  
perent primi menses, in pauca quantita-  
tate per aliquot dies fluentes.

Gaudebamus omnes de devicto co-  
usque morbo, tantæ molis viso; & ven-

turam brevi integritatem læti exspectabamus.

Ast sefellit spes; paulo enim post subito reassurgit imus venter, sensim in magnam satis molem exorrectus, cum dolore capitis, nausea continua, anorexia, lumborum dolore, debilitate ingenti &c. tumore jam steatoma mentiri, jam tympanum referre viso, ad latera depresso, anterius prominente.

Pugnabam omni arte, & diu quidem; ut tumorem hunc expugnarem. Purgantia amara carminantibus mixta, stomachica, roborantia, aromatica, imo ipsum quandoque acerrimum piper præter frictiones, inunctiones cum oleo camphorato, clysteres, & diætam analæpticam vinofam &c. larga manu porrecta hoc fine, ut alvo pertinaci soluta, intestinorum vis contractilis augeatur, & contra aeris rarescentis, distendere

dere intestina nitentis potentiam, opposita potentia prævalerer, alvum quidem subduxerant, siccum, globosam cum aliquo lenimine, metumque steatomatis sustulerant; speratam tamen morbi catastrophen, non induxerunt, Tympanite enim continuo urgente.

Fateor, symptomata hæc omnia vermibus deberi, quorum ex pluribus signis non levis suspicio erat, serio credebam. Hinc anthelmintica variis census, sed & itidem incassum administrabam. Tandem, cum salem communem, a puella cacheotica proprio consilio sumptum, avidissime quippe expetitum, pulchre profuisse, indeque copiosissimos lumbricos cum disparente mox tumore excretos fuisse, meminisse; in ejus usum ruebam, de efficacia ex actis Anglicanis, cæteroquin certus.

Altero mane sine mora uncias quatuor salis fontani in sufficiente quantitate aquæ soluti porrigebam.

Deglutit optimâ patiens lingua utut nauseante , muriam. Et ecce: paulo post vomitu reiterato prodit gluten varegatum , ingratam fracedinem spirans, subputridi, uti refert patiens, saporis, duodecim libras pondere æquans; per alvum insuper expost ter solutam & magna ejusdem glutinis copia secedit. Abdomen mox multum detumescebat, disparente dolore capitis, redeunte appetitu. Interim patiens conquerebatur de siti inextinguibili, urina expost stranguliosa ; quibus symptomatibus aqua fri- gida succo citri acidulata, cum pauxillo vino, calice tamen non fœcundo pro- pinata, sed persæpe in parva copia hausta pulchre medebar ita ; ut post

post noctem satis tranquillam optime se haberet, agilis jam, & bene appetens.

Præter frictiones imi ventris continuo bis de die & diu continuandas, mixturam ex aqua menthæ, cinamomi, sale Tacheniano & succo citri cum syrupo cinam. frequenter ad unciam unam sumendam ordinabam.

Hoc non obstante altera septimana redibant pristina symptomata, dolor capitis, nausea, tumor ventris tympaniticus, hicque jam auctior.

Offerebam denuo & jam sex uncias salis fontani in aquæ fontanæ sufficienti quantitate soluti.

Ingerit tremula utut lingua morigerat in omnibus patiens, moxque reddit vomitu ad quartam vicem repetito jam sedecim libras glutinis, alvo expost quater & enormem ejusdem muci copiam excernente, cum detumescientia ab-

dominis insigni, nausea sublata &c. subsequa tamen siti & urina jam plus stranguriosa, eadem, qua primo, arte emendatis.

Ordinabam præter diætam ubique analepticam, pristinam mixturam ex sale Tacheniano &c. Ex cuius usu mire proficere patiens indies videbatur.

Ast sexto die redierant antiqua mala cum abdomine denuo & jam plus tumente.

Propinabam septimo die denuo sex uncias salis. Secedebant denuo ad minimum sedecim unciae ejusdem glutinis, cum pristinis symptomatibus, pristina arte sublatis.

Post octo dies ludebatur eadem scena. Hæcque incommoda redibant, disparebant alternando, donec quinque libris & semis salis decem septimanarum spatio absumptis, ad minimum du-

ducentæ libræ glutinis vomitu tantum  
secessissent, non computata illa, quam  
anus excrevit, ingenti & incredibili  
quantitate, abiissent & tres lumbrici ro-  
tundi.

Sistere jam gradum videbatur m-e  
lum; & jam patiens frontem explicare  
cœpit bene appetens, agilis & quod-  
mirum, non ita debilitata, mensibus ta-  
men hucusque anomalis.

Ego interim primas vias instaurare  
omni possibili arte, in- & externa, mo-  
tu corporis &c. una cum diæta vinosa,  
ut miram hanc muci generationem im-  
pedirem, pro meo posse conabar.

Ast post mensem tumebat denuo  
abdomen, tympani instar madefacti ma-  
nu percussum obscure resonans, sine  
nausea tamen, sine dolore capitisi.

Cum

Cum artem roborantem minus sufficere, evacuanti plus insistere piaculum crederem, Electrum tentabam.

Concutiebatur abdomen a principio de cies fortiter.

Explodebantur mox post operationem copiosissimi flatus cum detumescentia notabili abdominis.

Altero die duodecim concussus applicabantur, sicque per decem dies continuabatur.

Secedebant ubique flatus mox ab operatione numerosissimi cum imminutione tumoris indies majore; donec post decimum tentamen nullum tumoris præternaturalis vestigium observare esset, urina, quæ post singulas operationes libralius mittebatur, plerumque aquosa, jam cocta, alvoque indies respondente.

Tinctura Martis vinosa cum cina momo & amaris, una cum frictione imi ven-

ventris, & diæta conveniente per aliquot septimanas in usum tracta, restituta tandem est integritas optimæ virginis; ut hæc, & dissipata, quæ olim mentem tenebat, desipientia, restituto fluxu menstruo, in diem hodiernum bene valeat, in quartum jam annum in nosocomio degens, ibique subministræ munus gnaviter obiens.

---

### C A S U S II.

#### TYMPANITES AD ELECTRUM CONCIDENS.

**C**atharina P.. annorum triginta novem, numerosæ prolis mater, texturæ gracilis, faciei cacheoticæ, anomalia mensium hucusque laborans, conqueritur de dolore lumborum, urina stranguriosa, flatibus, borborygmis clausis, alvo tarda, anxietate post pastum a tri-

tribus jam annis & per vices infestantibus, imo ventre ab anno intumescere viso & usque huc in magnam molem extenso, digitisque percusso instar tympani madefacti resonante, cum pulsu exili, appetitu utcunque vigente, somno plerumque turbato, persæpe nullo.

Ad usum Rhei cum floribus chamo-millæ & oleo sceniculi, una cum oleo camphorato extus inuncto, præter urinam copiosiorem, & non ita stranguriosam, alvus sicca semper, & in globulos coacta respondebat, flatusque secedebant, cum lenimine; quin tamen imus venter mole decreceret, aut mollesceret tantum, quin dolores lumborum remitterent.

Tentabam Electrum; imoque ventre duodecies leviter tamen concusso, prodibant mox copiosissimi flatus; alvusque eadem vespera sponte solevebatur.

Al-

Altero die post quindecim concus-  
sus denuo creberrimi flatus secedebant,  
cum lenimine & doloris lumborum ali-  
qua remissione.

Ast circa vesperam observabatur  
major calor, fitis major, nox insomnis  
erat. De mane suborietur sudor co-  
piosus & foetidus; urina excrenebatur  
turbida, paulo post sedimentum album  
mucosum deponens.

Cum patiens se plus debilitatem  
sentiret; tertio die non rediit.

Quarto die applicabantur denuo  
quindecim concussus; sicque per decem  
dies continuabatur hoc cum eventu, ut  
singulas operationes crebra flatuum ex-  
plosio exciperet; sensim dolor remitte-  
ret, evanesceret; abdomen mollesceret,  
tumor decresceret, disperareret; urina in-  
dies liberaliore, turbida, alvo a prin-  
cipio siccissima globulosa, tandem ulti-  
mis

mis diebus naturali, sudore quo mane  
erumpente, copioso fœtido. Sicque  
Patiens omni incommodo libera, inter  
mille quas agebat gratias, discessit

Rheum cum limatura Martis ali-  
quamdiu sumendum suasi, ut & frictio-  
nes imi ventris. Post aliquot menses  
rediit, dolorem brachii rheumaticum  
accusans, quem & Eleætrum feliciter  
dispulit.

---

### C A S U S III. MELANCHOLIA ELECTRO DIS- SIPATA.

**E**lisabetha M... annorum virginis  
quinque, cælebs, a juventute tristis,  
ab aliquibus annis delira sine furore,  
melancholica, cæteroquin sana, rite  
menstruata, transportatur Anno 1770.  
in nosocomium.

Ober

Oberrabat in hospitali per diem, latebras quærendo, ubi se absconderet; idæque mentem figenti tuto indulgeret, hominum consortio aversa, muta visa, ad interrogata nihil respondens. Abstinebat præterea ab omni cibo & potu, penuriam ferre docta; donec vi jubetur, sumere ea, quæ ad vitam sustentandam necessaria videbantur.

Cum præter pacationem, & diversionem mentis mutandum nihil indicaretur; de mane & ante cubitum opium a principio ad granum unum, sensim ad grana duo, per diem vero camphoram exhibebam; laboremque diurnum insuper, non difficilem tamen, injungebam, a venæsecione & purgantibus abstinen-  
do; ne mentem einendare studens, cor-  
pori obessem.

His per sex septimanas usurpati,  
mens nonnihil emendator videbatur;

K

Pa-

Patiens enim jam loquacior, oblata insuper omnia prompte devorabat non ita morosa, noctesque somno transfigebat.

Semota omni arte Electrum experiri, consultum ducebam hoc fine, ut novo per Electrum nervis motu inducto, sensorum commune forte tristi ubique ideæ obedire, dedisceret.

Catena itaque pedibus submissa mox dextram mox sinistram Electricitati positivæ admoveri jubebam. Excipiebat patiens indies per quatuordecim dies a principio octo, sensim duodecim ictus; quin præter urinam copiosiorem, referente ministra, & terrorem quendam, quo mox ad singulos ictus percuti videbatur, insoliti quid observare esset.

Desistebam aliquamdiu ab Electro, quod quarta septimana denuo revocabam,

bam, & ad viginti indies concussum in quintam septimanam usque continuabam, posito, cum menses fluenter, sex dierum intervallo.

Post transpirationem liberorem, urinamque quotidie copiosorem, mensusque profusiores, alacrior jam, per intervalla non loqui solum patiens, sed sermocinari, ad interrogata non raro apte respondere coepit, viribus corporis indies auētis.

Tandem omnino ad se rediit, ita ut sexta septimana in integrum restituta, in diem hodiernum serena mentis malacia gaudeat, jam proba & industria in nosocomio ægrotantium ministra.

Pluries tentavi Eleētrum in Mania & Melancholia, sed ubique incassum, visceribus quippe imi ventris obstructis, atra bile obfessis. Oportebit prius

viscera expedire, dein Electrum experiri.

---

---

## CASUS IV.

EPILEPSIA INVETERATA ELE-  
CTRO AD TEMPUS SUBLATA.

Georgius N.... octodecim annorum,  
ante annos octo innundantibus su-  
bito aquis, vitæ periculo expositus,  
repentino inde & certe non levi terrore  
percussus, post octo dierum lapsum paro-  
xysmo Epileptico horrendum in modum  
corripitur, per omne hoc tempus in-  
dies recrudescente, imo bis, ter, & non raro  
frequenter, per diem atrociter ubique  
laceffente, malo mora eousque adulto,  
ut spreta omni arte, distortis, distractisve  
articulis omnibus, informe motus impos,&  
mente alienatum nobis monstrum homi-  
nis pro homine relinquet, vorax quip-  
pe,

pe, sine pudore alvum & vesicam foris & domi fœdo spectaculo dimittens, loqui nescium, & inarticulato quodam mugitu non mentem, sed vitam prodens, omnium animos in pietatem flentens.

Admittitur bajulatoris humero allatus Anno 1773. in Julio cum aliis, primus tamen omnium & misericordia præ cæteris dignus in domum, quæ ab immortalis Principis nostri ADAMI FRIDERICI pie-tate pro diversorio epilepticorum exstruxæta, dotata præsto est, mihi, ut miserorum curam gererem, commissam.

Nullam artem intentatam reliqui, ut misero huic succurrerem, leniendo saltem miseriam. Ast æthiopem lavabam, malo indies ter, quater imo & saepius redeunte, & miserandum in modum distorquente.

Tandem, ut, quid hic Electri virtus valeret, experirer; extra paroxysmum jam latus dextrum, jam sinistrum a principio duodecies, vigesies tandem concutiebam; sicque indies in tertiam septimanam continuabam.

Post primam operationem siluit paroxysmus per quinque dies; sexto die ad vesperam rediit, sed lenior jam; remittebat denuo per quatuor dies, sicque in diem hodiernum omni tertio plerumque die, subin serius subin citius recrudescere suevit malum, remissius tamen, cum paroxysmus jam vix per aliquot minuta affligat.

Profecit insuper miser eo usque, ut torosior jam se erigere in lecto, imo clam propriis viribus surgere didicerit, alvumque jam in sellam ad hoc param tam sibi plus conscius exoneret, manifesto

festo argumento, ligamentis plus roboris rediisse.

Insistitur adhuc usui Ele<sup>t</sup>ri, sulphurque cupri ad mentem meam paratum indies bis porrigitur. Ulteriore eventum hujus morbi dabo in Epilepsiologya a me, si secundis casibus fecundior fuerit, edenda. Aliquibus mire profuit ars, ut a die admissionis omni insultu immunes usque huc persistenter, brevi discessuri.

Varios epilepticos Electro subjeci; nullibi vero inde paroxysmum epilepticum accelerari, observare potui; quod quidem contigit in hysterics, sensibili bus admodum, quæ mox ab operatio ne novo paroxysmo prehendebantur. Quanquam hoc genus hominum, assuetum dolo, convulsiones, ut, quod reformidatur, Ele<sup>t</sup>rum porro abesse faciant, fingere affabre novit.

Liceat mihi hic memorare casum, quem non ita pridem in domo epileptorum mihi contigit observare. Virum quinquagenario majorem diu jam, & singulis diebus valido insultu epileptico prehensum, cum immoriger tandem, & furore non raro abreptus, alios invaderet, verberibus aliquando a nosocomo castigari jubebam. Et ecce: ab eadem hora absolvit paroxysmus, decimo quinto die ira denuo excitatus, sed hucusque non ita frequenter rediens. Repetere dosin prohibet mollis, qui Medicis esse fuerit, animus. Interim si alia ars non profecerit, plagosam ad manus non sumere non potero.

---

## C A S U S V.

## SCABIES ELECTRO REVOCATA.

**T**res pueri cachectici conqueruntur de gravitate totius corporis, respiratione

tione difficulti, cum tumore leucophlegmatico faciei præprimis & artuum.

Scabiem accusant, unguento rubro,  
cui certe inerat Mercurius præcipitatus  
ruber, subito suppressam.

Post sumptum laxans altero die utrumque latus octies Electro concutiebatur. Et ecce, postero mane post dolorem in cortice corporis urentem, una cum sudore profuso, erumpebant pustulæ scabiosæ prurientes, cum respiratione mox emendata, tumore paulo post disparente. Ad usum florum sulphuris cum camphora & largo decocto Bardanæ, disparente sensim scabie, integra exposita sanitas rediit.

Moratur in nosocomio adolescens novendecim annorum, qui scabie ad unguentum quoddam cito disparente, incidit in Hæmoptoen, hac cessante, in

tussiculam sicciam, cum febre, siti & torositatis decremento.

Propullulabant exposita numerosæ verrucæ, utramque manum lata basi ob-sidentes.

Ordinabam flores sulphuris cum antimonio crudo & decoctum Bardanæ affatim bibendum. Jubebam præterea, ut torrentem Eleætrum in verrucas ef-funderet, sicque illas, quod quidem mihi aliquoties successisse memineram, for-te suffocaret exsiccandas.

Catena carpo utrobique circumda-ta, digitum unum ex altero positivæ ad-movet. Et ecce: quilibet digitus ab igne Eleætrico penetratus mox post levem pruritum progerminare cœpit, turber-culis verrucosis numerosissimis fertilis, cito in solitos colliculos adolescentibus, cum respiratione emendata, tussi minus frequente, febre multum immi-nuta.

CA-

## C A S U S VI.

ODONTALGIA ADMOTO ELE-  
CTRO MOX CESSANS.

**B**arbara H. doloribus rheumaticis  
diu lacesita subito corripitur fero-  
cissimo dentium dolore, irrita omni ar-  
te per biduum lacescente cum dolore ca-  
pitis, pervigiliis adeo, ut de nocte nec  
per minutum quidem inesse lecto potue-  
rit. Expedit ipsa, moræ impatiens, ut  
præsens tyro Practicus, cui absens, pro-  
be utpote gnaro rem demandaveram,  
Electro succurreret.

Succussa aliquoties maxilla cessit mox  
dolor cum stillicidio salivæ a principio  
tenuis, tandem mucosæ, saporis acris  
falsi, aliquamdiu durante.

Paulo

Paulo post eodem malo affecta ean-  
dem methodum cum eodem eventu fa-  
lutarēm experta est.

Plurimis dentium dolore laboran-  
tibus Electrum e voto cessit. Imo, quod  
sæpius mirabar, odontalgiam a carie den-  
tium ortam multoties dissipavit Electrum.  
An nervum insensilem reddendo? pro-  
blema esto.

---

### C O R O L L A R I A.

Ta que in Rheumatismo acuto, cum fe-  
bre, dolore acutis, reliquisque sym-  
ptomatibus inflammationi utut in arteriis  
lymphaticis natæ communibus, inflam-  
matio obtineat in membranis ad ligamen-  
ta juncturarum pertinentibus, genua ple-  
rumque, lumbos, coxas &c. infestans;

five

sive in illis hæreat, quæ musculos involvunt, expansionibus tendinosis, aponeuroticis, hinc muscularis præprimis colli, dorfi, artuum &c. quotidiana; sive in iis sedem habeat, quæ nervos investiunt, unde Ischias nervosa tam frequens; appareat cum vel sine tumore, dolor fixus sit, vel vagus, universalis aut particularis, ex quacunque causa occasionali natus, in quocunque temperamento hærens, quamcunque acrimoniæ speciem accusans, sive acidam, sive alcalinam, biliosam &c. nunquam tentetur Eleætrum.

Quando autem febris deferbuit, morbo in chronicum vergente, vel jam chronicò, reliquæ arti non cedente, ubi cunquæ Materies rheumatica hæreat, aut ad articulos, aut in expansionibus aponeuroticis, præprimis autem si in vaginis nervorum, ut in Ischiade nervosa ad

om-

omnem non raro artem rebelli sedem habeat, hæcque vel ortum trahat juxta Cottunium a nimia copia lymphæ, nervi vaginas distrahente, & inclusa filamenta nervosa comprimente, sicque torporem non raro, imo Paralyisin inducente, vel a lymphâ acri cum dolore permanente, aut ad vesperas exacerbato &c. Electrum ubique confert.

Si enim vitrum Antimonii vino solutum ad guttas datum, ne vomitum excitet, corporis vasa minutissima permeando, solvendo, sudores movendo, Rheumatismos inveteratos solverit, testante HUXHAM: Si balneum frigidum immersivum febrem inducendo, coacto ex post sudore pertinacissimos Rheumatismos dissipaverit; certe hæc vis Electro denegari non poterit; hoc enim fluidum in rerum natura certe penetrantissimum,

mum, vasa omnium subtilissima, imo ipsas fibrillas nerveas permeat, febrem particularem inducit, fibras, membranulas, vascula actuat, excitat, movet, stimulat, concutit; liquores subit, penetrat, urget, miscet, solvit, promovet, expedit; secretionem, exhalationem, resorptionem juvat; excretioni denique per sudorem, urinam &c. servit, modo, via, viribus, uti ingenio nostro, ita & reliquæ arti omni inaccessis, experimento tantum manifestis.

Præstabit semper mox ab Electro aliquamdiu frigus cavere, & post operationem scopo antirheumatico admissam, potius infusi e.g. Sassafras copioso sudorem expectare.

In doloribus scorbuticis, Rheumatismo venereo &c. non tentetur Elestrum.

Ex

Ex his non difficile erit, intelligere, quando Electrum & in Paralyſi conve-  
niat. Certe ubi frictiones, olea, linimen-  
ta, balsama, unguenta nervina, empla-  
ſtra acria, aromatica, attrahentia, cucur-  
bitæ, vesicatoria, fustigationes, urticatio-  
nes, cæteraque dolorem, febrem, levem  
inflammationem excitantia indicantur,  
Electrum medelæ erit. Particulares Pa-  
ralyses, ſin artem admittant, plerumque  
Electro cedunt.

In stupore a Plethora, Apoplexiam  
non raro præcedente, Electrum non con-  
venit.

Tympanites, ubi ſartis cæteroquin  
visceribus a debilitata vi contraetili inte-  
ſtinorum, vi aeris intestina distendere  
nitentis, minore, arteriolarum insuper in

ca-

cavum intestinorum rorem exhalantium  
inertia &c. ortum traxit, pulchre Electro  
dissipatur. Sin vero visceribus tabes-  
atis, ut in atra bile turgente, Ileo conclu-  
mato, gangraena intestinorum, intesti-  
nis a vermis perforatis &c. oriatur,  
ab Electro utique abstinendum erit: ne  
videaris obfuisse, ubi prodesse non po-  
teras. Sed de his satis.

Ego interim pergam in commodum  
artis, ad imitationem Illustrium & Claris-  
simorum Virorum BRIDONE, DIXSON,  
EVANS, FLOYER, FRANKLIN, DE HAEN,  
HARTMANN, JALLABERT, KRAZENSTEIN,  
LINDHULD, DE LA MOTTE, PAULSON,  
QUELLMALZ, SCRINCI, SAUVAGES, SCHAEF-  
FER &c. Electrum experiri, & quantum hoc  
in intermittentibus febribus, Epilepsia,  
oculorum morbis chronicis, surditate  
&c. profecerit, in altero opusculo, observa-

L t i o n e s

tiones Clinicas sistente, & si non fecundum satis fuerit, propediem edendo, palam faciam. Nisi utile est, quod querimus, stulta est nostra gloria, inanis labor, indignus Medico

## F I N I S.

### ERRATA PRAECIPUA.

Pag.	62.	lin.	17.	loco vericatorium	lege vesicatorium.
70.	-	14.	-	posterat	- poterat.
93.	-	17.	-	emendatus	- emendata.
99.	-	5.	-	vocabulula	- vocabula.
104.	-	13.	-	trincta	- trincta.
105.	-	12.	-	infisterere	- insistere.
127.	-	1.	-	peremeret	- premeret.








Ue 1957  
S



h



# Farbkarte #13



B.I.G.

## OBSERVATIONES ELECTRICO-MEDICAE,

QUAS  
IN COLLEGIO CLINICO,

QUOD

IN GRATIAM ET EMOLUMENTUM  
MEDICINAE STUDIOSORUM  
PRO AUGUSTA SUA IN LITERAS MUNIFICENTIA

C O N D I D I T

A D A M U S  
F R I D E R I C U S  
P R I N C E P S,  
EMINENTISSIMUS ARTIUM SATOR,  
C O L L E G I T  
F R A N C . H E N R . M E I N O T D R .  
W I L H E L M

PHILOS. ET MEDIC. DOCTOR, PRAXEOS, C<sup>E</sup>  
DICINAE CLINICAE PROF. PUBL. ET ORD.  
ET CELSISS. PRINC. EPISC. BAMB. ET EB. FRA.  
DUCIS CONSILIA. AULIC. ET IATER, I  
JULIAEI ET AD S. THEOD. MED. OF



W I R C E R U R G I ,

Typis Franc. Ernesti Nitribitti, Univ. Typographi.  
MDCCLXXIV.